
I M S
8 0


PARAGRAPHO
1575









Ignatius Dominicus S.R.I. Comes de Chorinsky L.B. de Ledske S.C.R.P.M.R. Consiliarius et actualis necnon Ducatuum Oppaviensis et Carnoviensis Director Consistorii Oppaviae

Tinctura ♂tis curat
hydropism.


LIBRI XIIII. PARAGRAPHORVM PHILIPPI THEOPHRASTI PARACELSI, PHIlosophi Summi, & vtriusq; medicinæ Doctoris prestantißimi.

Nunc primum à doctore Toxite in communem vtilitatem integritati restituti, latinisq; explicationibus qua fieri potuit diligentia, atq; studio illustrati.

Cum gratia imperiali ad decennium.

Argentorati apud Christianum Mylium.

ANNO M. D. LXXV.



REVERENDISſimo principi ac D.D. Ioanni Egolpho Epiſcopo Auguſtano: D. ſuo omni obſeruantia colendo: Micaelus Toxites Rhætus, medicinæ doctor ſalutem à Deo optimo maximo optat.



VO MIHI IN hac προσφονήσει propoſita ſunt: Reuerendißime Princeps: quæ, dum expono, beneuolum mihi te præbere velis, oro. Primum cauſas indicabo, cur hos Paragraphorum libros Theophraſti Paceſſi tibi dedicatos, inſcriptosq́ publicauerim: deinde de hoc opuſculo, & autore eius, cui à nonnullis immeritò contradicitur, pauca quædam dicam.

Cùm Dillingæ pueritiam meam in literis apud virum non tam nobili-

tate, & virtutibus, quàm bonitate, & humanitate clarissimum Ioannem à Stadion, præfectum vrbis egissem: ac tandem adolescentiam ingressus, academias publicas accedere statuissem: optimus Princeps Christophorus, summum Stadianæ familiæ decus sua liberalitate propositum meum adiuuit. Fuit Antistes ille, vt nouisti, omni laude doctrinæ, virtutis, pietatis dignissimus: pacis, tranquillitatis, & salutis non solum populi sui, sed totius Christiani orbis studiosissimus: cuius sanctissimæ voces de reipublicæ Christianæ concordia sancienda, nondum animo meo exciderunt.

Hunc secutus est reuerendissimus Cardinalis Otho: qui me non tantum in Italia, vbi mea aliquando opera vsus est: sed in Germaniam quoque reuersus

uersus non minus dilexit: vnde & ego in illius electionem Panegyricum carmen in comitijs Spirensibus edidi: & ille poëtica laurea ab inuictissimo Carolo V. Imperatore ornari me curauit.

At verò cùm Augustæ in Comitijs essem, tu quoque & humanissimè excepisti me domi tuæ, & benignè tractasti: vbi famam de virtute, humanitate, atque eruditione tua singulari præsentia auxit. Animaduerti enim te animum tuum præ cæteris collegis tuis, interioribus literis, secretisque optimarum artium, ac diuinæ philosophiæ studijs magna cum laude excoluisse.

Ex his amplissime Princeps intelligis, me episcopatui tuo non immeritò addictum esse: quamobrem vi-

tio mihi nemo vertet, quod hos paragraphorum libros nomine tuo diuulgauerim: quibus electionem tuam, licet tardius, quàm optauerim, hoc exiguo quidem, sed tamen vtilißimo opusculo, honorare volui: vt obseruantiæ, studijq́ erga te mei signum tibi esset. Accedit huc, quod tu omnium optimè de vtraq; medicina, Galeni nimirum atq; Theophrasti, non tantum propter doctrinam tuam, qua multis antecellis, sed proprio etiam sensu, vt Erasmus Roterodamus aliquando ad Theophrastum scripsit, iudicare potes. Vtranq; enim es expertus: quid vtraq; poßit, non ignoras.

Sed iam pauca de Paragraphorũ libris: quorum sanè non exiguæ laudes sunt. Etenim quasi explicatio quædam sunt librorũ Theophrasti de

vita

uita longa: quib. nihil est præstantius. Nam & eosdem propè morbos tractant, & earundem ferè rerum præparationes docent: Auri, Styby, Corallorum, margaritarum, gemmarum, herbarum &c. quorum vsus est, cùm ad vitam diu incolumem conseruãdam, tum ad morbos expellendos. Curam tradit breuẽ, sed quæ magnos in morbis magnis effectus ostendit.

Paragraphos Paracelsus ipse latinos fecit: oratione quidem barbara, sed quali illo seculo etiam docti homines vtebantur: qui rerum addicti studio, verborum curam non habebant: quod non tantum in Germania: sed etiam in Italia, cæterisq; nationibus exteris consuetum fuit. Quare illi ignoscendum est: dum idem & medici cæteri, & iureconsulti ante ipsum fecerunt.

Docuit illos in Academia Basiliensi: partim latinis, partim Germanicis verbis: vt moris erat: auditores multa malè calamo exceperunt: alij deinde describendo errata erratis accumulauerunt: quæ res labores mihi auxit. Adieci enim Paragraphis explicationes latinas, non qualesab auditoribus accepi: quibus nihil barbarius fuit: sed quas partim ex auditorum annotationibus, partim ex alijs Paracelsi libris pro mea virili & iuditio confeci: oratione non quidem eleganti, sed humili, & ad docendum, vt spero, apta. Quidquid autem feci, eorum feci gratia: qui Paracelsi lectione delectantur: quorum causa, si Deus mihi vitam dederit, plura in lucem proferam. Non enim Zoilorum me inuidia terret: quo minus veritatem defendere

ausim

ausim: neq; calumniæ, quæ Paracelso obiectantur, tantum mihi metum incutiunt, vt illum amare desinam.

Etsi autem Paracelsum in primis probo, atq; sequor: tamen neq; Galenum neq; medicos Galenicos conuitijs proscindo; sed ex animo Deum opt. max. oro: vt ex vtriusq; schola prodeant aliquando viri non tam eruditi, quàm etiam sapientes, pij, boni, & fideles: qui non gloriam, ambitionem, & diuitias, sed ægrorum sanitatem quærant, concordiam ament, ac dissidia tollere studeant. Cur enim ita Galenus triumpharet: vt Paracelsus innocens opprimeretur? Id mihi sanè iniquum videretur. Fuit ille fateor, homo doctissimus, in Aristotelica philosophia optimè institutus: medicinam quam à veteribus accepit, in or-

dinem redegit, auxit, illustrauit: vnde principis nomen adeptus est: quis hoc illi inuideat? Sed plura præstare, quàm illi à Deo tum temporis datum fuit, non potuit: imò in multos errores incidit, vt à pluribus medicis obseruatum est. Quamobrem cùm Paracelsus in veterum & philosophia, & medicina non pauca desideraret: aliam viam cùm ad philosophandum, tum ad medicinam discendam, factitandamq; nobis tradidit: non ex hominum opinionibus, sed ab experientia, & ex natura rerum sumptam: cuius certæ dari demonstrationes possunt. Vterq; sine dubio ægrotantium salutem spectauit: cur igitur non vtriq; suus tribueretur honos? Sed magnum inter vtrunq; discrimen est. Curauit Galenus multos: at Paracelsus multis

ſeculis non audita præſtitit: fuit ille atheos, & ab omni pietate alienus: at Paracelſus cùm Chriſtianus eſſet, Chriſtum Dei, & Mariæ virginis filium, Deum & hominem agnouit: eumq́ vnicum Saluatorem noſtrum confeſſus, ab eo, non à mendacibus Græcis, ſe omnia accepiſſe: ab eoq́ ex natura, per diuinæ Cabalæ ſcientiam (cuius adminiculo in occultiſſima naturæ ſecreta penetrauit) ſeſe medicum factum, atq́ omnium philoſophiæ artium Monarcham eſſe, nulliq́ ſe ceſſurum, ſed omnes cuiuscunq́ nationis ſint, ipſum ſecuturos eſſe gloriatus eſt: quæ gloriatio, ſi à Philautia profecta eſſet, quis non eum irrideret, quòd tot, tantisq́ viris, qui ipſum anteceſſerũt, ſe fuiſſet auſus anteponere? Sed cùm ſe ab eo doctum eſſe profeſſus ſit, qui

omnem

omnem antiquitatem antecedit: & à quo solo omnis sapientia suum habet principium: qui fieri posset, vt non propius ad veritatẽ accessisset, quàm quisquam eorum, qui ante multa secula ignarus Dei, literis aliquid commendauit? quare non sanè tanta acerbitate persequendus erat: cuius libri tot, tantisq; secretis scatent: vt ne admirari quidem satis illa possimus. Quid verò in grauissimis desperatissimisq; morbis effecerit, locupletes ei testes sunt, variæ nationes, inprimis autem Carinthia, & vicinæ regiones quibus plurimum delectatus fuit, hominesq; virtute, & dignitate præstantes, quorum & literas ad Theophrastum aliquando scriptas, penes me habeo: & nonnullorum, quos curauit, testimonia ipse audiui. Etsi autem

tem multa aduersus eum scripta in lucem prodierunt: tamen obiter illa legens deprehendi, aduersarios pleraq; malè intellecta perperam, atq; odiosè interpraetari: alia ipsis planè esse abscondita. Cùm enim Cabalæ, & Magiæ naturalis ignari sint: quàm de Theophrasti scriptis, qui in illis scientijs excellens, & perfectus fuit, sententiam ferent? nonne toto cœlo aberrabunt: dum sutor vltra crepidam? Si qui verò sunt, qui & Cabalam, & Magiam Christiano homine artes indignas, fugiendas, minimeq; colendas esse clamitent: & omnia, quæ ipsi non intelligunt, superstitiosa, fantastica, diabolicaq; esse contendant, ij & Picum Mirandulanum, & Reuchlinum, & Petrum Galatinum, plurimosq; alios cum superiorum tempo-

rum,

rum, tum nostri seculi homines doctissimos, Christianos, virosq; bonos audiant: qui de his artibus magis sobriè candideq; iudicarunt. Non sum adeo vel rudis, vel impius, vt eas artes probare velim, quæ in abusum diaboli præstigijs execrabilem abierunt: nec de inepta, vana, falsaq; literarum, qua Sophistæ gloriantur: sed de veterum Cabala sancta, pura, diuinaq; naturalium diuinarumq; rerum inuestigatrice, loquor, per quam olim Rabini quidam Iudæorum, & Christum Dei filium, & Deum vnum in tribus personis agnouerunt: & eam Magiam intelligo qua illi, qui ex stella Christum Iudæorum Regem in Oriente agnoscentes, claruerũt. Ego enim me Christianum esse profiteor: itaq; sciens, volensq; nullius errores defendere cupio:

Verbum nullum, quod Ecclesiæ Christianæ, Christianæ inquam Ecclesiæ, non vnius, aut alterius vel autoritati, vel opinioni, aduersum sit, affirmo, sed quidquid cœlesti doctrinæ Christi repugnat, damno, reycio, & auersor. Vt autem, si quid erro, mordicus tueri nolo: ita pertinax quorundam odium non possum non improbare: qui dum Ethnicos in cœlum vsq; tollunt, nescio qua autoritate, Paracelsum Christianum, quod illis suo iure contradicat, ad inferos vsq; detrudunt. Non enim est obscurum, eum curasse morbos quos cæteri curare minimè potuerunt: paucisq; diebus præstitisse id, quod alij longo tempore nullo modo assecuti sunt: quæ res illum non odiosum, sed gratum facere omnibus debuisset. Hac eius medendi rationem inuesti-

gamus

gamus: propter hanc libros eius publicamus: vt veritatis amatores habeant, in quibus ſeſe exerceant. Neq; ea in re mea me ſpes fefellit. Multi enim mihi non ſolum docti homines, ſed etiam Idiotæ propter libros à me editos per literas gratias egerunt: vtq; in edendo pergam, ſubinde cohortantur. Qua igitur conſcientia aduerſarij tanto ſtudio conantur impedire, quo minus Paracelſi doctrina innoteſcat, quam nationes exteræ auidè cognoſcere cupiunt? cur ægrotantibus viam ad ſalutem præcludunt, quam his illi in multis ſæpè morbis reddere nequeunt? quorum in iudicando prudentiam deſidero, candorem requiro, ignorantiam admiror, quod Germanum Germani, medicum incomparabilem medici, philoſophum inſignem philoſophi,

phi, omniq́; doctrinarum genere virum excultum, ac reconditissimarum rerum cognitione expolitum, de philosophia, & medendi arte optimè meritum, tanto odio, & inuidia grauant. Arcana potius, & secreta, ac magnalia Dei, quæ ille nobis obliuione longa, barbariei tenebris, medicorumq́; desidia, segnitie, otio, obsita, desuefacta, & è communi vsu penitus sublata, iterum purgauit, ac restituit: magnifacere, colere, & exercere debebamus. Iniuriosum, inquiunt, eum fuisse in veteres: si causam nullam habuit, non laudo: si verò à Deo ad artes in integrum restituendas singulariter excitatus fuit: cur Dei voluntati volunt resistere? Sed longius prouectus sum, quam proposueram: iusto tamen dolore motus: ad medicinam Pa-

ſi reuertor, in qua ſe non idiotæ ſolum, ſed etiã homines docti, Galenoq; addicti medici ita ſeſe exercẽt, vt ſperem breui Paracelſum magis gratũ, acceptũq; fore. Non.n. hoc agitur, vt medici veteres, & qui hos ſecuti ſunt, recẽtiores è medio tollãtur: quis .n. quæ in illis bona ſunt, repudiaret? quis tot clariſsimos doctiſsimosq; totius Europæ medicos reprobaret? Sed hoc optamus vt Theophraſtus quoq; inter medicos locum habeat: eiusq; doctrinæ cognoſcatur certitudo. Quidam in exagitanda Theophraſti vita ſtudioſiſs. ſunt, vt eum inuiſum reddant: ego ſi commemorare vellem medicos ebrioſos, & ineptos, fortaſſe plures inuenirem, quàm Theophraſtus diſcipulos habet: ſed quid hoc ad rem faceret? quid inde medicinæ accederet, vel decederet?

cederet? Quanquam autem plures recensere possum, qui Theophrasto dediti, curis morborum raris hinc inde nomen honorificum consecuti sunt: tamen neque tibi prolixitate molestus sim, & huius præfationis modum excedam, vnius saltem mentionem faciam, qui incurabiles etiam morbos, vt vulgò appellant, curari posse, experientia demonstrauit. Est mihi veteri amicitia iunctus Tobias Vueydnerus Argentoratensis, vir bonus, pius, & humanus, cuius parente olim, familiariter vsus sum, fratremq; in mea disciplina habui. Is à pueritia equidem quemadmodum etiam frater, adeò aduersa valetudine esse cœpit, vt parentes paruam vitæ eius spem habuerint. Principio cùm sex annorum esset, paroxismis epilepti-

cis centenis, & triginta, ac amplius ex terrore correptus fuit: deinde æta- te accedente, aliquot annos calculi cruciatibus ita confectus fuit: vt mori potius, quàm viuere maluisset. Acces- sit huic malo Paralysis cum magna corporis imbecillitate. Proprijs igitur coactus malis, cùm neq; in officina sua remedia inueniret: neq; medicorum o- pem uel consilium ullum, quod illi pro fuisset, consequeretur: ad Theophra- sti Paracelsi scripta confugit: Deiq; benefitio tantum assecutus est: quan- tum optauit.

At primum quidem prouerbij me- mor, curationem à seipso incepit: seq; à sæuissimo calculi morbo protinus li- berauit. Hæc medicina omni corrosi- uo, omniq; nocumento carens, non so- lum citissimè cruciatus mitigat: sed si- ne do-

ne doloribus quoq; non modò calculos verumetiam lapidem, siue in vesica, siue in renibus ille hæreat, cùm quis debito tempore ea vtetur, comminuit, expellitq;. Paralysin deinde, ne vt ante aliquoties illi accidit, reuerteretur: suis medicamentis auertit. vt ab ea huc vsq; tentatus minimè fuerit. Cùm hæc illi fœliciter successissent: magna animi alacritate, relicta arte sua, totum sese medicinæ mancipauit: multoq; plura, & maiora assecutus est: quorum non solum in Heluetia, multisq; alijs locis, sed etiam in clarissima repub. Argentoratensi periculum fecit: quam ob causam ab amplissimo senatu Argentoratensi hactenus immunitate ciuilium numerum donatus est. Epilepsia enim, morboq; comitiali laborantes vtriusq; sexus, omnisq; æ-

tatis, ex quacunque causa morbus sit, modo non sit hæreditarius, neque cerebrum prorsus corruptum, ratioque omnino amissa sit, sanitati restituit. Non dicam quid in hydrope, quartana, colica effecerit: vbi medicinæ omnes aliorum sine fructu fuere adhibitæ.

Transibo etiam, ex metallicis fumis, causisque alijs contractos, quos fœliciter curauit: quid in oculorum vitijs, doloribus, tinnituque aurium, odoratu amisso, alijsque cum physicis morbis, tum Chyrurgicis malis præstiterit, nolo recensere.

At verò ista non ex auditu habeo: sed spectator, imò ipse expertus fui. Posteaquam enim ille ex Heluetia Argentoratum reuersus esset: atque ibi aliquandiu medicinam fecisset: casu iterum conuenimus (de illius enim

fortuna, ſtatu, ac miſeria corporis, in qua fuerat, nondum quidquam audiueram) ſtudiaq́; noſtra contulimus: vbi multa de podagra, lepra, hydrope, caduco, calculo, & ſimilibus morbis, quanã ratione curari poßint, id quod ex Paracelſo didiceram, diſputauimus. Cumq́; propter veterem amicitiam remedia noſtra vnà communicaſſemus, ego mox domum reuerſus calculi curationem, cuius grauißimus dolor in media cœna me inuaſerat, adhibui: vt eius medicinæ vim, effectumq́; in me ipſo prius ſentirem, quàm alijs exhiberem. Subitò dolor, ſpectantibus meis, abijt, neq; mihi ab eo tempore calculus vnquam moleſtus fuit: dedi deinceps alijs, apud quos eundem affectum expertus ſum. Alteram verò medicinam, qua ami-

cus meus Epilepſiam, & caducum curauit, exhibui puellæ nouem annos agenti: quæ tortura oris, membrorũq́ contractione laborabat, qui morbus poſt paucas doſes remiſit. Dedi epilepticis, & comitiali morbo afflictis: effectumq́ vidi lætum.

Non poſſum hoc in loco præterire duo exempla memorabilia: Puerum Vueydnerus Argentorati curauit pauperem, decem annorum, caduco laborantem: qui cùm poſt dierum aliquot curationẽ eum domũ reduci iuſſiſſet (vlcere, quod in nucha ceperat, caputq́ deinde totum occupauerat, aperto, capiteq́ ſanie, quæ copioſa erat expurgato, ſponteq́ iterum ſanato) recreatus eſt, ac integer euaſit. Hîc natura fecit, quod Theophraſtus libro ſecundo de vita longa in capite de Elepſia

pilepsia, & in tertio paragraphorum in caduci cura, ubi de ingenio loquitur medicum facere iubet: vt humor epilepticus aperto cranio, educatur: id quod per cranij cōmissuras puero huic virtute medicamenti accidit. Sæpè enim nutura, quid medico faciendum sit, ostendit.

Eodem tempore adolescentem sedecim annorum circiter duos menses secum habuit in ædibus: qui iam aliquot annos comitiali morbo grauatus fuerat: eum ad suos remisit. Paruo post tempore, morbus à medicina (quam adolescens secum, vt diutius ea vteretur, apportauerat) victus, miserum circiter ducenties horribiliter inuasit: ac tandem omnino remisit: ita vt adolescens iam non modo sanus, sed etiam rationis magis quàm antea compos sit

Atq; hic ferè huius morbi mos est, antequam ab ægroto recedat.

Hæc amplißime Princeps, publicè testari volui, vt Dei optimi maximi beneficia omnibus nota fierent, & falsa vulgò persuasio tolleretur: quosdam morbos curari non posse: inter quos comitialis sanè numeratur. Quod si qui hanc meam narrationem fortaßis ludibrio habituri sunt: nihil moror. Si enim Cardano turpe non fuit: suas curas miris efferre laudibus, quis mihi uitio uertat, si & meas, & amici curationes commemorem? Ego gloriam non affecto, Paracelsi laudes quæro, & vt ille in honore habeatur studeo.

Te verò reuerendißime Princeps etiam atq; etiam oro, vt & studium meum hilari vultu suscipias, & hoc

para-

Paracelsi opusculum tua autoritate, sapientiaq́; defendas: quod vt facere possis, Christo filio Dei vnicè te commendo, oroq́; vt in hoc nouo anno, nouam tibi valetudinem, hoc est, firmã & integram benignè largiatur. Vale Haganoæ, Calendis Ianuarij, Anno à Virgineo partu millesimo, quingentesimo, septuagesimo quinto.

Reuerendissimæ tuæ dignitatis.

Deditiss.

M. Toxites D.

Toxites

Toxites Lectori.

VT tibi prodessem, amice lector, transtuli in latinum sermonem fragmentum de modo præparãdi, administrandiq́ medicamenta, ex Theophrasti manu. Etsi autem paucis ista verbis tractauit: tamen diligentibus ad maiora inuestiganda sufficient. Qualiacunq; sunt, magnam sanè vtilitatem habent: quin ex his intelligis etiam quæ medicamentorum præparatio, quiqúe illa exhibendi modus Paracelso placuerit. Voluntatem nostram boni consulere uelis.

I. DE

I. DE MEDICAMENTORUM præparatione.

In præparandi ratione, atq; modo, hoc inprimis ſcire operæ pretium eſt: omnes rerum vires ac virtutes é corpore extrahendas, rerumq; corpora minimè ægrotantibus eſſe adminiſtranda. Hæc via cùm nondum approbata, & recepta ſit, idcirco, parum hactenus in morbis effectum eſt: niſi tanta rerum virtus extiterit, vt corporis impedimenta ſuperauerit. Vt igitur præparationis vię atq; modi intelligantur, ſciendum eſt: quadruplicem eſſe medicamenta præparandi rationẽ: iuxta quadruplicem elementorum ordinem. Eſt autem præparatio rerum nihil aliud, quàm puri ab impu-

impuro ſeparatio: ideſt virtutis ab ipſo rerum corpore ſegregatio.

LIQVORES.

Primi elementi ſeparatio eſt, vt herbæ abiectis fęcibus, in ſuccum redigantur: id quod fit in vaſe duplici: vt herbæ contuſæ imponantut, vaſe bene obturato, in balneo circiter biduum, ſiue triduũ coquantur in liquorẽ, qui deinde à fęcibus expreſſus, ſeparetur. Hunc deinde ad vſum ſerua in vitro clauſo: addito parum olei, ne aliquando muceat.

OLEA.

Semina ita præparato: principio bene contundantur: deinde per alembicum diſtillentur ita,

ita, ne aduſtionem ſapiant: idq; carbonum igne fieri debet, non forti, ſed moderato: alioqui minus habebis olei. Sic & ligna diſtillabis, & quidquid pinguedinem habet.

ALKALI SIVE SAL.

Hiſce ita præparatis, obſeruandum eſt: in cineribus, qui ex relictis fęcibus omnium rerum fiunt, ſal latere: quod proprio liquore extrahetur. Quanquam etiam cum aqua diſtillata ſal extrahi commodè poteſt,

Obſeruatio.

Notandum eſt: non aquis diſtillatis, ſed liquoribus, eo modo, vt iam dictum eſt, præparatis, vtendum eſſe. Adeo enim ſubtiles fiunt: vt tam diu, quàm

aquæ,

aquę, conſeruari poſſint, annum integrum. Quamobrem præſtat integra virtute, qui in liquoribus continetur, quàm aquis vti. His tribus modis omnis rerum virtus, etiam ſalis, quę alioquin non aduertitur, à corporibus extrahitur, & incorrupta manet.

TERENIABIN.

In ſecundo gradu, ſiue elemento, quod ad Tereriabin attinet: notandũ eſt, nulla ipſum præparatione indigere: cum à natura præparatum, atq; ſeparatum ſit: veluti etiam Ilech, & Iliadus.

METALLA.

In tertio vero elemento metallorum præparatio eſt eiuſmodi:

modi: vt Metalla per ſalia in liquorem reſoluantur: vt metallica corpora maneant. Eorum enim eſſentia eſt Mercurius, qui ſumma eorum virtus eſt. quamobrem non extra corpus quinta eſſentia eſt quęrēda, cum ipſum corpus quinta eſſentia ſit.

Eorum vero proceſſus ſiue præparatio eſt: vt per viriditatem ſalis diſſoluantur in liquorem, idq́ꝫ nouem vicibus. Sic enim metallum liquor manet: qui nunquam in metallum reducetur. Hunc liquorem accipe in medicinas tuas.

GEMMÆ.

Similiter etiam tota gem̃arũ ſubſtantia in liquorem diſſoluetur, veluti metalla: ſed hoc

modo, vt prius cum ſulphure calcinentur: poſtea diſſoluantur: idq; tamdiu, donec gemmę totæ in liquorem reſoluantur.

Eodem modo Corallia, Criſtalli, & quidquid in ſimilem duritiem congelatum eſt.

II. DE MODO MEDIcamenta adminiſtrandi.

Medicamentis ritè præparatis: modus eadem adminiſtrandi obſeruãdus eſt: quem ordine in nonnullis morbis indicabo: vnde in cæteris etiam quę ſit adhibendæ medicinæ ratio,

faci-

facilius animaduertatur.

IN FEBRIBVS.
Ante Paroxiſmum.

In Guta.

Sine intermiſſione.

In Icteritia.

Ad tertiũ diem ſiue ad 3. dies.

In Hydrope.

Ter in die.

In Contractura.

Ter in die.

Iu Vlceribus.

Bis in die.

In Vulneribus.

Bis aut ter pro ratione vulneris: in fine ſemel.

In Podagra.

De nocte.

In Menſtruis.

Secundum tempus ſuum.

In Colica.

Semel, aut bis in doloribus.

In Vertigine.

Sine intermiſsione.

In peſte.

Semel intra, & extra.

In Apoſtematibus.

Quotidie bis,

Si his adminiſtrationibus non curatur æger, derelinquendus erit.

FINIS

THEOPHRASTVS BOMBAST EX HOHENheim Heremita, vtriusque medicinæ Doctor, ac professor, Medicæ artis studiosis, S. D.



Vum sola omnium disciplinarum Medicina, tanquam diuinum quoddam munus, tum sacrorum tum prophanorum scriptorum suffragio necessitatis titulo laudetur, atque paucissimi doctorum eam fœliciter hodie tractent, visum erat illam ad pristinam suæ autoritatis laudem reuocare, & quam quidam à fece barbaro

rum, nos ab erroribus grauißimis purgabimus. Non veterum addicti præceptis, ſed ijs duntaxat, quæ partim indicatione rei naturę, partim noſtro Marte inuenimus, & longo rerum vſu atque experientia conprobauimus. Quis enim neſcit plurimos doctorum hac tempeſtate vel ſummo ægrorum diſcrimine, fœdißime lapſos? quum nimis anxiè Hipp. Gal. & Auicennæ aliorumque dictis adheſerint, perinde ac ex tripode Apollinis hęc, veluti oracula, manauerint, à quibus ne digitum latum diſcedere liceret. His enim autoribus ſplendidißimi quidem doctores, ſi dijs placet, non autem medici naſcuntur. Non titulus, non eloquentia, non linguarum

peritia

peritia, nec multorũ librorum lectio, & si hæc non parum exornent, in medico desideranda, sed summa rerum ac mysteriorum cognitio, quæ vna facile aliorũ omnium vices agit. Rhetoris quidem est diserte posse loqui ac persuadere, atq; iudicem in suam sentẽtiam trahere: Medici autem affectuũ genera, causas ac συμπτώματα nouisse, & ijs insuper sua sagacitate & industria pharmaca applicare, atque pro cuiuslibet ingenio ac ratione uel cunctis mederi. Cęterum ut paucis modum docendi depingam. Imprimis igitur quod ad me attinet, Ego amplo dominorum Basiliensium stipendio inuitatus, duabus quotidie horis tum actiuæ tum inspectiuæ

Medicinæ, & Physices & Chirurgiæ libros, quorum & ipse autor, summa diligentia, magnoq́ꝫ auditorum fructu, publicè interpraetor: illos tamen non aliorum more, ex Hippocr. aut Gal. aut quibuslibet emendicatus, sed quos summa rerum doctrice experientia atqꝫ labore assequutus sum. Proinde si quid probaturus, experimenta ac ratio, autorum loco mihi suffragantur, Quare optimi lectores, si quem huius Apollineæ artis mysteria oblectant, amor desideriumq́ꝫ tenent, cupitq́ꝫ breui admodū temporis spacio, quicquid huius disciplinæ est, perdiscere, ad nos euestigio BASILEAM se conferat, & longe alia atq́ꝫ maio ra quam paucis describere possim,

ſim comperiet. Sed vt noſtrum inſtitutum clarius ſtudioſis innoteſcat, non piget exempli loco ſubijcere, nos in complexionum ac humorum ratione veteres nequaquam imitari, Qui ſane omnes ægritudines illis falſo acceptas ferũt, Vnde nullis aut certe paucíſsimis doctorum, hodie morbos, cauſas, ac decretorios dies exacte nouiſſe contingit. Poſtremo hæc veluti per tranſennam demonſtrata ſufficiant, Vobisq́ꝫ tamen de his nõ, niſi audito prius THEOPHRASTO temere iudicandum permitto, Valete & hunc noſtrum inſtaurandi medicinam conatum, boni conſulite. Datæ Baſileæ Nonis Iunij, Anno M. D. XXVII.

THEOPHRASTVS PARACELSUS VERITATIS AMATORI.

Ille ego, qui tantas infracto pectore curas,
Aerumnas, casusq; graues, durosq; labores
Exhausi, cerebro vigilatas ordine noctes,
Insanos æstus, immanis frigora Brumæ,
Insidias, structosq; dolos, & fœta periclis
Retia sustinui, dirisq; imbuta venenis:
Cum terras omnes, & cum maria omnia circum
Ignotos repetens colles ignota viarum
Compita, præruptisq; aditus, imosq; recessus
Lustrarem, patrio latè seclusus ab ORBE:
Vt generi Humano, totiq; vt sedulus ORBI
Prodessem, Leprasq; graues, dirasq; Podagras,
Herculeamq; Hydram, ac tetræ contagia Pestis,
Hydropisq; alma frenarem monstra medela.
Ille ego, cui Magni Mysteria Arcana tenebris
Ante oculos, ante ora hominum cernenda locaui,
Terreno TERRAS erumpens vase reliqui,
Aethereas repetens arces, sacrataq; templa,
Hic vbi Dijs mistus cœlesti perfruor aura:
Interea & TERRIS animi Monimenta reliqui
(Thesaurum ingentem) nostrum testantia nomen.
Quinetiam illustri clarum de Lumine Lumen

Accen-

Accendi radios totum quod ſpargit in Orbem,
Cernere quò poſſent, quantis erroribus acti
Mortales alto fuſcarint lumina ſomno.
Hæc ſunt quæ Terræ (ſic Dijs mandantibus) ipſe
Munera diſcedens dederam: pro munere rurſus,
Quid tribuunt RHOADES, ingratæ pondera Terræ?
Surgentem infeſti tentant extinguere famam,
Deformi, vt lacerent Auguſtum vulnere nomen.
Ah immane ſcelus: noſtris non Manibus illi,
Nec ſacro parcunt cineri, extinctisq́ fauillis.
Lurida viroſæ reuomunt conuitia linguæ,
Et rapti furijs, Lethen, Erebumq́, Stygemq́,
Tergeminamq́ ſonant Hecaten, diramq́ Megæram,
Vltrices acuunt, toto conamine, Beluas:
Flectere nam nequeunt Superos Acheronta fatigant.
Sed miſera incaſſum luctatur Turba, cerebrum
Inuida nequicquam tenues conſumet in auras:
Fata obſtant, altiq́ Iouis veneranda voluntas.
Sunt ſemel informes diſiecti ſede Gigantes,
Tetraq́ fulminea traiecit corpora flamma
Flammiger Idacides: iacet, æternumq́ iacebit
Obrutus Enceladus, vaſti qui pondere montis
Aeſtuat, & patulis expirat faucibus ignes.
Quô pergis vires vltra? quid mœnia VERI
Ardua, ſublimemq́ arcem, firmasq́ Columnas,

Tam

Tam leuibus pilis, tam fractis concutis armis,
Quisquis es? & nostro tantum te opponis honori?
Parce precor miles, tibi tu mollißime parce,
Si quæris fragili deformem illidere dentem,
Infringes solido, propria delusus ab arte,
Quin nec sola mei pugnant Monimenta laboris,
Nec sola in terris, nullis ducentibus, errant:
Sed tuta incedunt validis stipata cateruis.
Ecce etenim surgit, præclaris sedibus ortum
Heroum genus, æterni Iouis alta propago:
Quod nomen famamq́ meam, laudemq́ decusq́,
Hactenus oppressum, totum diffundet, in ORBEM,
Diuitijs ingenij sacrisq́ tuebitur armis,
Insanos morsus contra, stimulosq́ furentes:
Hoc celsum celsa PARACELSVM sede locabit,
Nomina perpetuis ornatum clara Triumphis.
Nec procul ista dies: video surgentis Eoo
Claros Luciferi radios albescere Cælo.

I. P. Remigius Cimb. F.

AD D. CAROLVM SALIS-
burgensem &c.

Ergo

Ergo sic perijt Lumen solare, quod omnis
Vsque Creaturæ fons & Origo fuit?
Iamq; salutifero pro Melle Venena bibentes,
Vltra Hominum nugas credimus esse nihil?
Non me vana mouet titubantis opinio Vulgi,
Quod nihil in Cœlo, nil Acheronte videt.
Quà nos cunq; trahit DEVS, & fortuna sequamur:
Omnis apud Superos, Carole, nostra salus.
Litera præcipites sed nos dedit ipsa, nec vsquam est
Qui sapit, hoc tanta est tempore plaga DEI.
Multa quidem scripsit sub Apollinis arte Galenus,
Et sua non paruum dogmata pondus habent:
Sed mera Verba, iuuant nos Arsq; Fidesq; medendi:
Fallitur è Chartis qui petit Aeger opem.
A Cœlo Medicina venit, Superumq; fauore,
Cognita perpaucis Vatibus ante fuit.
Hanc illi sanctè coluere nefasq; putarunt
Sacra rudi Populo notificare DEI.
Hinc Magicas artes inuenit docta Vetustas,
Discipulos illis erudijtq; suos
Quis DEVS? & Cœlum quanam ratione vagetur,
Afficiat radijs Inferiora suis?
Quomodo Principium rerum fuit vna potestas
Sitq; Creatoris Mundus imago sui:
Ad quam factus Homo, totum complectitur Orbem.

Qua

Qua licet æterno participare DEO.
Principijs rerum, fama, est, donaria Perses
Immolat, & Cæli Lumen vtrunq; colit.
Qui multos fallunt, motus septemplicis Orbis,
Tradidit hos veros ingeniosus Atlas.
Monstrauit populo Medicas Epidaurius herbas,
Nunc quoq; non paruum Balsama nomen habent.
Scilicet his olim titulis Vatesq;, Magiq;
Admonitos summi nos voluere Boni.
At nos consilium Veterum fugit, atq; proterue
Inscitiæ nostros insimulamus Auos?
Quaq; tribus nexa est, simplex Sapientia, nodis:
Turpiter hanc nostro scindimus arbitrio:
Hinc Sacra Christiadū laceramus & omnibus horis.
Quilibet inuentis polluit ipsa nouis.
Fatorumq; expers & captus imagine Veri,
Quid Superi faciant, iudicat Astrologus.
Et miscent Ebulum Medici, tamē intumet Hydrops,
Frigida, crescentem nec leuat herba sitim.
Ergo DEVS non est? sunt nescia Sidera fati?
Ad Medicam frustra confugit Aeger opem?
Parce DEVS Vati, tu semper es vnus, & vna est
Luna voluntati fida Ministra tuæ.
Luna decus nostrum de tot Cælestibus vna.
Mortales casus aspicit atq; leuat.

Carole

Carole crede mihi, donum Medicina Deorum
Eſt, apud Eoos inuenienda Magos.
Nec te decipiat, quæ multos Littera fallit,
Ante Creatorem, cætera noſſe, ſuum.
Quem ſimul ac nôris, dabit hic tibi cuncta roganti,
Nectaris & compos cuncti potentis eris.

Correctura.

In præfatione in decima ſexta linea vndecima lege innoteſcat,
Fol. 26. l. 13. procreant.
Fol. 29. l. 17. theriaca.
Fol. 32. l 5. generatione.
Fol. 46. l. ſpumam.
Fol. 47. l. 3. macrocoſmo.
Fol. 49 l. 4. ſine.
Fol. 60. l. 13. cauſa hæc eſt.
Fol. 63. l. 4. torſit.
Fol. 67. l. 17. monſtroſum.
Fol. 69. l. 19. ſpecifica.
Fol. 104. l. 2. dentes.
Fol. 121. l. 18. aduerſatur.
F. 125. l. 1. membrorum contractionem.
Fol. 129. l. 10. obſtruatur.

F. 132. l. 14. *ablato.*
F. 134. l. 18. *Ladani.*
F. 135. l. 13. *omnium.*
F. 137. l. 1. *ſine cera.*
F. 149 l. 10. *quem*
F. 153. l. 11. *anticipat.*
F. 153. l. 20. *Adde, febres curantur.*
F. 162. l. 18. *dolorem leuiorem.*
F. 172. l. 6. *vtriusq;*
F. 176. l. 9. *actis.*
F. 183. l. 10. *Iuſquiami.*
F. 184. l. 3. *Oxilapathon*
F. 186. l. 3. *tinnitu.*
Eodem l. 4. *cùm pure & ſanie.*
F. 187. l. 1. λιθότομοι
Eodem. l. 16. *Albucaſis*

Paragraphorum
PHILIPPI THEOPHRASTI PARACELSI,
Philosophi summi, ac medicinæ vtriusque Doctoris præstantißimi,

LIBER PRIMVS.
DE MORBIS DISSOLVTIS.
CAPVT I.
PARAGRAPHVS I.



MNE QVOD perfectum est, & per stomachum indigestum abit, morbus dissolùtus est: & illud quod à perfecto in imperfectum descendit, dissoluti materia cruda â præparatis, Centrum stomachus est: exitus

per anum, per vomitum, & per vesicam.

EXPLICATIO.

Causa inscriptionis.

Theophrastus Paracelsus Iureconsultos imitatus, hos libros Paragraphorum nomine, atq; titulo appellauit: quia illos per Paragraphos in inclyta Basiliensi Academia cum publicus ibi professor esset, dictauit: ac discipulis suis inter dictandum, partim latinis, partim verò Germanicis verbis, vt eo seculo consuetudo fuit, exposuit.

Titulus libri primi.

Titulus autem libri primi est, de morbis dissolutis: cuius æthimon sequenti paragrapho explicat. **In** *hoc autem Paragrapho primum ipsum morbum definit, deinde quæ eius materia, tum quod eius Centrum, ac quis sit exitus, ostendit. Morbum dissolutum*

lutum appellat omne, quod perfectũ est, hoc est, crudum, necdum separatum, sed quod per stomachum in digestum abit: quod huius morbi centrum est, hoc est, verum principium, id fit, quando alimenta in chylum adulterinum conuertuntur, siue rubeum siue album: qui huius morbi est materia cruda, à præparatis separata. Exitum triplicem facit: per anum, per vomitum, & per vesicam: vnde etiam vt in sequentibus apparebit, tres morbi dissoluti species fiunt: Dysenteria, lyenteria, diarrea ani, vesicæ, atq; oris.

Morbum dissolutum quid appellet.

Tres morbi huius species.

PARAGRAPHVS II.

Morbus dictus à dissolutione est: quia dissoluitur in prima operatione. Dissolutio & putrefactio est passio generata à bonis cibis.

EXPLICATIO.

Æthimologia. Morbi æthimon exponit: prima enim operatio fit in stomacho, in quo cibus, potusq; non benè digestus, atquè separatus, dissoluitur: quia stomachi vulcanus aluminosus factus est, & putrefactionem non admittit: ideo mox alimentorum dissolutio sequitur: ideo dissolutio, atq; putrefactio non vna, vt quædam exemplaria habent, sed diuersa passio est: nisi quis ad excretionem siue exitum velit referre.

Dissolutio duplex. Est autem dissolutio duplex: nam aut stomachi[illegible] est, aut mineralium. *Causa efficiens.* Cum enim stomachi non benè digerit, & tamen putrefactionem non admittit, casus siue stomachus per casum dissoluit cibum: quando videlicet stomachi archeus debilitatus est. *Materiale.* Causa cibus est, qui ex aquositate coagulatus est: quid-

quidquid enim ex aquoſitate coagulatur, hoc etiam diſſoluitur: quoniam ſtomachus non poteſt concoquere. Altera diſſolutio quæ eaſdem cauſas habet efficientes, ex mineralibus oritur: quando ea in corpore diſſoluntur: de quibus infra cap. 2. paragrapho 1.

PARAGRAPHVS III.

Definitio morbi eſt iſta: tres ſunt morbi ex diſſolutis primæ ſpeciei: albus, rubeus, laxus: & item tres morbi per vrinam ex diſſolutis, ſcilicet, vrina ſanguinis, vrina lactea, & vrina mandragorata, vel aquęa: & tres morbi diſſoluti per vomitum: vomitus ex digeſto, vomitus frequens, vomitus thoracis.

EXPLICATIO.

Transitio: definitio, inquit, morbi est ista, quæ scilicet proximis paragraphis explicata est: non rei, sed nominis. Hîc morbos enumerat dissolutos, quorum tres facit species: quarum singulas in tres iterum diuidit. Primæ speciei sunt, qui per anum exeunt, albus, rubeus, laxus. Varij enim coloris ventriculi fluxus sunt: pro varietate concoctionis: sic de vrina, & vomitu quoq; iudicandum est. Albus fluxus est tenuis, spumosus, ac tenax: sulphur album, vt calx, aut creta: cuius color stomachum aliquo modo digerere, atque separare notat. Rubeus est quando digeritur quidem id, quod excernitur: sed tamen non separatur, inde fluxus existit rubeus, & grumi sæpe sanguinis eijciuntur. non ex vena aliqua corporis rupta, sed ex mala stomachi di-

Species dissoluti.

1. Ani.

chi digeſtione. Hic dyſenteria, ille diarrhæa dicitur: vterq; Chylus adulterinus eſt. Laxus eſt, quando ſtomachi archeus ita debilis eſt, vt nihil operetur. Altera ſpecies eſt veſicæ, ſiue vrinæ: quæ tres etiam morbos habet diſſolutos. Primus eſt vrina ſanguinis, cum neq; in meiendo, neq; in lumbis, neque in dorſo dolores ſentiuntur. Vrina lactea oſtendit vrinæ diarrhæam: quæ etiam ſine dolore fit. Vrina mandragorata, id eſt, inſenſibilis, eſt cùm quis multum mingit, ſed tamen ſine titillatione aliqua, vt ſe non ſentiat meigere. In ſumma, cùm ægri mingunt multum, & vrina nunc alba eſt, nunc rubea, nunc turbida, & contento caret fluxus vrinæ eſſe dicitur. Tertia ſpecies vomitus eſt, qui ſimiliter tripartitus eſt. Alius enim ex digeſto

2. Vrinæ.
Sanguinis.
Lactea.
Mandragorata.
3. Vomitus.
Ex digeſto.

est, qui cibo fermè concocto accidit: cùm quis semper post vnam, aut alteram horam à cibo vomere cogitur: quæ diarrhæa, siue flus vomitus appellatur. Hic morbus sæpe est læthalis: quo virum quendam sapientissimum & in omni vita modestissimum perire vidi. *Frequens.* Alius frequens est: cùm quis perpetuò ad vomendum irritatur. *Thoracis.* Tertius est thoracis, quando quis in biduo, triduo, siue octiduo semel vomit. *Causa horum.* Horum causa sal aluminosum est: quod sua se virtute per superiora expellit: vt etiam infra cap. 2. Paragrapho 2. dicetur. Atq; hi morbi omnes dissoluti sunt, triplicemqúe exitum habent: in stomacho, tanq̃ in suo centro generati.

PARAGRAPH. IIII.

Morbi

Morbi dissoluti potentiæ, & eius vitia sunt accidentia: quatuor sunt per anum, Colica, torsiones, schiæ, & spinæ dolores: tria per vrinam, dysuria, stranguria, & laxa: tria per vomitum, fel, liquor, & singultus.

EXPLICATIO.

Morbi dissoluti symptomata recenset: idq; per loca exitus: vt etiam in speciebus fecit. Quæ enim per anum abeunt, à stomacho nondum digesta, siue separata, Colicam, & ventris torsiones, schiæ, spinæq; dorsi dolores excitant. In vrina dysuria, stranguria, & laxa, hoc est, mictus inuolūtarius accidit. In vomitum non minus ex stomacho oriuntur tria: amaritudo fellis, quæ ex largiore potu euenit: liquor

Morbi dissoluti symptomata.

Ani.

Vrinæ.

Vomitus.

ſuperfluus, qui ex omnibus membris ad ventriculum attrahitur. Poſtremò ſingultus, cuius ſtomachi frigiditas cauſa eſt: omnia igitur medicamenta in his morbis ad ſtomachum accommanda ſunt.

PARAGRAPH. V.

De ſignis morbi diſſolutivitæ, ſanitatis, & mortis.

De vitæ ſigno hoc eſt habendum: quod ſi ex diſpoſitionibus proprijs ſtercora inſpiſſarentur abſq; tormine & nauſea: reſtaurationis eſt principium, & bonę valetudinis. Si autem in laxos flueret inteſtinorum, ſanitatis ſigna cum remedijs. Si autem tremor particularis, aut febrilis motus, cum Paralytico caſu, & oculorum inudatione, praua

ſigna ſunt mortis: etſi ſigna oris concurrerent aurium tinnitus, lachrymarumq́ꝫ diluuiũ, lingua tremula, mortis acceſſum ſignificat. Et certiſsimum hoc ſignum eſt, ſi fames partium conſentiat vniuerſalium.

EXPLICATIO.

Duplicia ſigna in hoc paragrapho exponit: vitæ ſcilicet, & mortis, quæ in hoc morbo eueniũt. Vitæ duo ponit ex ſtercorũ coagulatiōe ſumpta: ſi ea vel naturæ ei coaguletur: uel ad inteſtina laxa deſcēdat. Mortis multò plura enumerat: tremorē particularē, motum febrilem, caſum paralyticum, oculorum innudationem, ſiue quod idem eſt, lachrymarum diluuium, oris mutationem, aurium tinnitum, linguam tremulam, partium vniuerſalium famem.

Signa.
Vitæ.
Mortis.

mem. Ex manu Theophrasti hic paragraphus sumptus est, & vix legi potuit: quare si quid lector benignus in eo desiderat, æquo animo ferat.

PARAGRAPHVS VI.

De Cura.

Cura vnicam habet intentionem, vt coaguletur materia ex aſsignatis

EXPLICATIO.

Cura quò modo instituenda.

Nunc ad curationem accedamus: quæ sic est instituenda, vt & casus, & causa morbi tollantur. Id spagirica fiat arte, qua purum ab impuro separetur, earum rerum, quæ dissolutionē congelant. Hoc enim modo stomachi archeus confortabitur: quod in hac curatione præcipuum est: vt cibum deinceps facilè digerat: vnde morbus dis-

solutus planè tollitur. Theophrastus alibi in fragmentis suis velocia laudari arcana à Spagiris dicit: vt etiam laudāda sunt, in morbis præsertim periculosis. Cæteris autem omnibus in hoc modo præfert Liquorē siue oleum Orizei: quem dicit esse primum & nouißimū in hac curatione medicamentum. Sequitur coagulatio. Arcana. Liquor Orizei.

Coagulationis in morbo dissoluto descriptio.

Seminis, & locustarum filicis singulorum vncia semis.

Sanguinis Traconis vncia,

Sinapis

Croci Martis, singulorum drachmæ duæ.

Tragacanthi in liquoribus plantaginis, quantum sufficit pro in-

corpo-

corporatione.
Dosis est ab vncia vna vsq; ad sescuntiam.

Alia coagulatio.

Croci reuerberati calybis post solutionem vncia.
Sem. filicis vncia dimidia,
Boli purgati ab aquositate, vnciæ duæ.
Tragacanthi dissoluti in decoctione plantaginis: fiant trocisci ad drachma.
Dosis vna est, mane, meridie, & ad vesperum.

Alia.

Trociscorum prædictorum vncia,
Ladani puri drachmæ sex,
Liquoris corallorum
Magnetis, singulorum drachma.

Theria-

Theriacæ deſcriptione Theophraſti quantum ſufficit: fiat bolus. Doſis à ſcrupulo vſque ad ſeſqui ſcrupulum.

Alia.

Huius boli drachma ſemis.

Liquoris Orizei ſcrupulus.

Liquoris carnis quantum ſufficit, fiat hauſtus vnus.

Quod ſi in principio fuerit euacuandum, non prohibendum erit.

Quin & aqua mentæ pro potu vtiliter adminiſtrabitur. Alij addunt filici tanacetum æquali pondere.

Obſeruatio.

Obſeruandum eſt, eſſe inter carbones, qui è terra effodiuntur, & ſua ſponte comburuntur, ſimiliter in fabrorum officinis, vbi folles recipiuntur, qui venas habent rubentes, quæ à *Sanguis Traconis quid in hoc loco.*

Theo-

Theophrasto hoc in loco sanguis Traconis appellantur. Liquores carnium in duplici vase commodissimè fieri possunt.

Alia coagulationis descriptio in omnibus morbi dissoluti speciebus.

Olei ex Marte drachma,
Liquoris Orizei grana decem,
Liquoris filicis ad pōdus omnium.
Dosis ab aureo, ad sesqui aureum.

Obseruatio.

Medicamento casus quoq; auffertur, quo sublato, etiam accidentia auferuntur. Si vero dyseneteria radices adeò egit: Vt morbus inde fiat Cronicus, Laudano sequenti mineralia cōfortanda sunt.

LAVDANI DE-
ſcriptio.

Orizei foliati vncia ſemis.

Margaritarum non perfo-ratarum drachmæ duæ.

Aſphalti.

Florum ſtybij ſingulorum drach-ma ſemis.

Croci orientalis ſeſquidrachma.

Myrrhæ Romanæ,

Aloës epaticæ ſingulorũ ad pondus omnium. Reduc ad formam. Doſis grana ſex, vſq; ad decem.

Obſeruatio.

Quædam exemplaria habent aloën ſuccocitrinam. Hoc autem modo parabitur Laudanum: Primum ſimplicia redigantur in alcohol, id eſt pul-uerem ſubtiliſsimum, cui vinum diſtillatum, optimè correctum ſuperfun- Modus parandi Laudani.

datur, fiatq́; in modum pulmenti, deinde in vitro Hermetis sigillo clauso, digerantur, seu coquantur in pane aliquot diebus, donec omnia in liquorem oleosum conuertantur: deinde per alembicum, seu retortam distillentur, & exibit liquor puniceus: tunc aloën in puluerem redactam liquori stillatitio insperge ad ignem, vt inde fiat massa, ex qua formabis catapotia parua instar stercoris murium.

Dosis est à granis 5. aut 7. ad 10. vsque. Cur autem Laudana vocauerit quædam sua medicamenta, in Onomastico nuper à me ædito, exposui. His vteris fœliciter in morbis dissolutis, desperatisq́; ventris fluxibus. Vide caput 8. lib. 2. de vita longa.

Cur Laudanum appellet.

CAPVT II.

DE MORBIS DISSOLVTIS MINERALIUM.

PARAGRAPHVS I.

Morbus diſſolutus ex mineralibus originem ducit ex tribus corporibus: caſus eſt tempus: ſed cauſa ex tribus primis.

EXPLICATIO.

Hactenus de morbis diſſolutis, qui ex ventriculi imbecillitale oriuntur: nunc de ijs tractat: qui ex mineralium in ventriculo exiſtentium reſolutione, proueniunt: idq́; ex tribus corporibus, ſale entalico, aluminoſo, & nitri. Caſum vocat diſſolutionis tempus: cauſam verò efficientem Caſus quid? Cauſa.

facit tres primas, siue tria rerum principia præsertim salia. Signa huius morbi ex mineralibus varia sunt: cùm enim morbus incipit, æger laborat fluxu siue alui, siue vrinæ, siue vomitus. Præterea etsi liberaliter edit, ac bibit aluiq́; deiectiones habet: corpus tamen decrescit. Interdum cibus crudus per vomitum eijcitur: torsiones autẽ, siue accidentia, quæ, vt in stomachi dissolutione, dolorem adferunt, nulla sunt, Salia vel excrementa, vel vomitus, vel vrinas, vel sudores prouocant. Si in stomacho sanguis concretus est, vel per anum, vel per vomitum exitum quærit, signumq́; dissolutionis mineralium est. Sed in hac specie cùm per anum sanguis quasi coagulatus exit, rubicundior est, quàm in dissolutione stomachi. In vesica autem si fuerit, in qua

Signa morbi.

Salia dissoluta.

Sanguis coagulatus.

qua primum coagulatur (quia coagulatus in eam minimè posset influi) vrina sanguinea semper erit. Nam si interdum sanguinea non sit, sanguinem non ex mineralium resolutione, sed ex vena aliqua à calculo ruptam esse, signum est. Si autem Sal dissoluatur cum substantia, & carne, sudando, sanguis erumpit. Ast vbi sine substantia resoluitur, vomitus albus erit. Hoc obseruandum est: hunc morbum eo modo progredi, quo incepit: nisi medicamentis aufferatur. Quinetiam per anum, vel vrinam, aut vomitum solum morbus dissolutus fieri potest. *Sal dissolutum.*

PARAGRAPH. II.

Omne quod à forma & substantia sua descendit, virtutem habet expulsiuam ingenitam.

EXPLICATIO.

Genera salium tria. Aluminis. Entali. Nitri.

Tria sunt genera salium, quibus virtus expulsiua inest: Aluminis, Entali, Nitri. Primum per vomitum, alterum per aluum, tertium per vrinam operationem suam perficit. Sed horum trium virtus expulsiua omnibus ijs inest: quæ matura ac digesta à forma, ac substantia sua descẽderunt, vt se ipsa expellant: & absq; his salibus nulla fit excretio: quare ea stomacho non est attribuenda. Quidquid autem non expellitur: digerendum potius, quàm purgandum est.

Sine salib. nulla excretio fit.

DE CVRA HVius Speciei.

PARAGRAPH. III.

Cura dissoluti mineralis, ex coagulatis est: nam omne coagula-

latum arcanum, & essentia & medicina essentialis est,

EXPLICATIO.

Præcipuus curandi morbi ex mineralibus dissoluti scopus est: vt salia coagulentur, non in stomacho, sed in membris exterioribus: stomachus autem scamonea, aut alijs rebus purgantibus minimè irritetur. Neq; enim purgando, constringendóue (nisi forte ex repletione sit) sed materiæ coagulatione morbus iste curabitur. Supra in explicatione paragraphi sexti dixi Theophrastum & Spagiros velocia laudare arcana, id etiam hoc in loco ostendit: omnem in dissolutis medicinam ex arcanis, & essentia rerum esse sumendam.

Scopus, coagulatio salium.

Purgantia vitanda.

Arcanis utendum.

DESCRIPTIO CVRÆ

dissoluti primi, s. rubei.

Oleorum de Been,
De Lacha,
Liquoris mannæ ſingulorũ
vnciam ſemis.
Fol. ſerpentinæ drach. 7.
Reduc ad formam.

Dosis *Doſis eſt à drachma vſq; ad ſeſcuntiam in oleo lentiſcino.*

Lentiſcum Theophraſtus appellat ſiler montanum: eiusq; lignũ, quod adhuc cortice caret, ſumendũ eſſe docuit. Quidquid ex mineralibus, & metallis fit: ſiue crocus ſiue flores, id inprimis ad morbos diſſolutos prodeſt, vt arcanum.

PA.

PARAGRAPHORVM PHILIPPI THEO. Paracelsi

LIBER II.

DE MORBIS VERMIVM.

PARAGRAPHVS I.

VERMIVM GENERAtio tria principia habet: Primum eſt ex nutrimentis, ſecundum ex mineralibus, tertium ex elementatis.

EXPLICATIO.

In hoc libro de vermium morbis agit: quorum cauſas materiales in primo ſtatim paragrapho enumerat. Generantur autem vel ex nutrimentis, Materia vermium.

vel ex mineralibus, vel ex elementatis. Si ex nutrimentis generantur, nō in intestinis, vt nonnulli volunt, sed in putrefactione, quæ continetur in ventriculo, tanquam in hospitio suo nascuntur. In intestinis enim matrix vermium non est: neq; omnis putredo vermes procreat ex nutrimentis, sed ea tantum, quæ per virtutem expulsiuam è ventriculo non expellitur.

Nutrimenta.

Mineralia.

Secunda vermium causa mineralia sunt, quæ non in putredine vermes precreant, sed in carne, sanguine, medulla, intestinis, atq; membris: vt paragraphus proximus docet.

Elementa.

Tertia causa sunt elementata, vt cùm quis sperma vermium, piscium, ranarum, & similium animalium in aqua bibit, siue edit, præsertim cùm sperma est in exaltatione sua. Sed hoc

sperma

ſperma, ſi viri bibant, in ventriculo nidum ſuum ponit: ſi mulieres, in matrice. Cùm eiuſmodi ſperma in homine talia monſtra procreat: tamdiu creſcunt, quàm aliàs creſcerent, donec ad ſuam digeſtionem, ac perfectionem veniant: quæ monſtra cùm non expelluntur, cibum appetunt, ventrem inflant, hominemq́ infeſtant & affligunt: & niſi eijciantur, aliquot nonnunquam annos durant. *Effectus vermium in homine.*

PARAGRAPHVS II.

Ex primo principio tria ſunt genera, Crudum, chymoſum, & excremẽtum. Ex ſecundo quinque: venarum, cõcauitatis, medullæ, inteſtinorum, & regionum membrorum. Ex tertio quatuor: Putrefactionis, aquoſitatis, chaos, & caliditatis.

Expli-

EXPLICATIO.

Genera vermium.

Causas vermium materiales, siue, vt ipse vocat, principia tria posuit: nunc quæ à singulis siue causis, siue principijs nascantur vermes, exponit. Neq; enim vnum vermium genus est, sed varij sunt, quos ordine recensebimus.

I. Ex nutrimento.

Etsi primi principij vermium nutrimenta sunt: tamen non omnia vermes generant, sed ea tantum, quæ vel cruda sunt, vel chymosa, vel excremēta. Triplex igitur vermium genus nutrimenta procreant: Crudum similes lumbricis terrestribus: Chymosum albos, paruosq́; & oblongos, quos Germanicè spůlwürm appellamus, ex chymo rubino incocto procreatos, id quod etiam canibus euenire vidi. Excrementa candidos & subflauos cum

Crudo. Chymoso. Excrementis.

pauuis

paruis pedibus generant.

Cùm quis non continuò sed paulatim vermes sentit: signum est stomachum generandis vermibus esse procliuem. Quinetiam anhelitus à cibo sumpto grauior, certum sæpiss. signum est: in ventriculo vermes putrescere. Alterum principium est, mineralia: ex quibus genera quinq; procreantur: Venarum, cauitatis, medullarum, intestinorum, & regionum membrorũ. Venarum, etiam in stomacho crescũt: quando in stomachum descendit materia vermium, quæ per secessum abeunt sanguinolentũ: ideo causam homini præbent tabescendi. His aduersatur Hierica mandragorata, & aurea Alexandrina cum auacardis confecta. In cauitatibus nascuntur vermes, cùm intra carnem, atq; cutem generan-

II. Mineralium.

Venarum.

Cauitatum

rantur, & in locum vnum congregantur: eoq; ſolum in loco dolor ſentitur. Vrit enim roditq; dolor non ſecus, ac in panaritio, de quo vide Theophraſti libellum de vlceribus: cæterum edendi bibendiq; appetitus hoc morbo laborantibus non auffertur. In medullis naſcuntur vermes dorſo flaui, ventre verò albi, non mucilaginoſi, ſed validi, qui expelli nequeunt. In inteſtinis vermes longi naſcuntur, atq; rubicundi, qui non complicantur, neq; alios inteſtina generant.

Medullarum.

Inteſtinorum.

Ani.

At in ano etiam naſcuntur vermes, quos Aſcarides appellamus: qui circa ſedem magna copia conglobantur. Noui quendam ante ſexennium, qui multa millia excreuit, antequam ab ijs liberatus fuit. Ad inteſtinorum vermes deturbandos colocynthus ſingula-

gula-

gulare est: ascarides perforata, betonica, & agaricus expellunt. Interdum, excrementa flaccida sunt, floccosq́ habent, interdum vermium frusta secum educunt. Quod si dies quatuordecim stent, in aliquo loco excrementa colocynthide eiecta, vermes procreabunt. Regiones membrorum ferè omnium vermes generare anatomia demonstrauit: vt in cerebro piam duramq́ matrem aliquando transfodit: vnde phrenesis excitata fuit. Nostra etiam ætate in cerebro vermes sunt inuenti, cùm morbus vngaricus hinc inde grassari cepit. Sic etiam in corde splene, felle, & pulmone vermes sunt reperti. In solis renibus nulli propter vrinam crescunt. Regionum.

Ex tertio principio quatuor vermium genera oriuntur: Putrefactionis, III. Eleraenta.

nis, aquositatis, chaos, & caliditatis: quæ ex iamdictis facilè intelligentur.

PARAGRAPHVS III.

Omne creatum pro secunda generutione creatum est: & vbi generatio: ibi duplex sperma est rei scilicet, & seminis: hinc naturale est: in omni spermate, vel semen monstrosum, vel monstrosi seminis materiam adesse.

Omnia ex spermate.

EXPLICATIO.

Quidquid generatur, ex spermate, in quo vita est, generatur: quoniam sine spermate nihil fieri solet. Cùm autem sperma duplex sit, naturale, & monstrosum, quod cõtra naturam est: & hoc ex naturali quidem natum, monstrosum tamen habetur: vt infra para-

Sperma duplex.

paragrapho ſequenti dicetur. Duplex etiam generatio eſt naturalis, & monſtroſa. Naturale eſt, vnde res naturæ oriuntur: contra naturam verò, cùm quid contra naturam naſcitur: quàm hîc ſecundam generationem vocat, vt ſunt vermes, qui omnes non ex putrefactione (tametſi hæc illis, vt in primo paragrapho dictum eſt, tanquam hoſpitium, in ventriculo præbeat) ſed ex ſpermate, quod in putrefactione quoq; continetur, naſcũtur. Hoc ſperma eſt monſtroſum, quod omnes vermes putridos producit in homine, in lignis, in fructibus. Mulieribus, cùm non ſunt purgatæ probè in puerperio, vterus iterum intumeſcit ſæpe ex ſpermate monſtroſo, vnde noua alicuius mali generatio indicatur. In hominis etiam cadauere ex monſtroſo ſperma-

Naturale: Monſtroſum.

I.

II.

III.

te post mortem vermes nascuntur. Et cùm in omnibus mineris sperma sit, in carne etiã esse constat: cùm scilicet minerarũ spermata ad stomachum de-
IIII. *descendunt, vt in primo paragrapho dictum est. Sic etiam pueri ex semine quidem naturali geniti sunt: sperma tamen omnes monstrosum habent. In nucibus sperma monstrosum non est; nullos igitur vermes nucleus illarum generat, sed testæ. Sic quoq; est in persicis. Fructuum verò grana verũ, & naturale sperma habent: vnde etsi fructus prohibentur, ijs nimirum, qui vermibus molestantur: grana tamen acini, siue semina illis prohibenda non sunt.*

PARAGRAPH. IIII.

Ex his sciendum est: lignum ex spermate esse: duas igitur in vniuer-

vniuersis seminibus generationes esse, animaduertendum est: vnam naturalem, alteram monstrosam.

EXPLICATIO.

Lignum, vt res etiam aliæ naturales, est ex semine: qui verò in ligno vermes generantur, ex semine monstroso sunt. Duplicem igitur, ut est ante dictum, generationem facit, naturalem, & monstrosam. Omne autẽ sperma in rebus sensitiuis aliud etiã in se sperma habet, quod est monstrosum, & aliquid sibi simile procreare potest. *Res naturales ex semine.* *Sperma naturale monstrosum in se continet.*

PARAGRAPH. V.

Insuper notandũ, quòd sperma exaltatum, fixum est: & cum corpore suo mortuo in sensitiuã virtutem abit, corpusq; sumit

ſenſitiuum, ex corpore inſenſibili. Id ex elementis eſt videre: nam muſcarum generatio eſt ex aëre, lacertarum ex terra, araneę ex igne, ex aqua verò ſerpentũ: ſic pulicum ex mineralibus.

EXPLICATIO.

Quemadmodum ſperma naturale vitam in ſe habet, ſic etiam id quod ex naturali præter naturam naſcitur, aliquid tandem ex ſeſe poteſt ſenſibile producere: vt quæ ex ſtercoribus, lignis, teſtis vermes generantur. Sic etiam in Elementis accidit: quæ non minus ſperma monſtroſum habent, quàm naturale: vnde vnumquodq; ſuum producit genus. Aër enim muſcas profert, lacertæ ex terra naſcuntur, araneæ ex igne generantur, ſerpentes verò ex aqua originem ducunt.

Sperma naturale.

Elementorum.

Para-

PARAGRAPH. VI.

De Cura.

Nunc de his, quæ ad curam pertinent. Medicamina intrinſeca, & extrinſeca eiuſdem naturæ eſſe, neceſſe eſt, Oportet etiã intelligere intrinſecum vermium genus per externã medicinam curari. Eſt etiam neceſſarium, perfectiſſ. proceſſum veneni noſſe. Poſtremò omne medicamentum, quod vermes interficit, ex veneno eſſe.

EXPLICATIO.

Hactenus principia, generaq́ vermium expoſuit, nunc ad curationem accedit: in qua omnes purgationes inutiles ſunt, niſi vermes occidant. Dicit intrinſeca, & extrinſeca medica- Purgationes.

mina eiusdem naturæ esse debere: quare in vermium curatione obseruandū est: ea, quæ vermes extra corpus occidunt, etiam internos vermes occidere.

Medicinæ examen.

Exploranda autem medicina prius est, quàm intra corpus sumatur. Vt cùm vermes nati in carne, compositionem, quæ fit cum Colocynthide, vel attingunt, vel de ea comedunt, ac moriuntur, etiam in corpore, sine dubio, morientur, si hæc medicina ægrotanti exhibeatur. Quæ serpentes, bufones, lacertas occidunt: ea etiam animalia ista in corpore nata, perimunt. Quæ bufones enecant, ea & stelliones & lacertas tollunt. Centaureæ liquor serpentes, oleum hypericonis, bufones, stelliones, lacertas enecat: semen Harmeli araneas, muscas, agaricus interficit. Qui ex nutrimentis sunt, per me-

medi-

cinas ex nutrimentis interimẽdi ſunt, vt agarico, qui ex aëre ſunt: qui verò ex aqua, centaurea expelluntur. At qui ex mineralibus veniunt, calcantho albo tolluntur: qui ex cachimijs, marcaſitis, & ſimilibus naſcuntur, arſenico perimũtur. Puluis lignorum cum ſaccharo, rebusq́; alijs mixtus, vermibus reſiſtit: maximè verò recens natis: vt ex pinu putreſcente, ſi ſint ex nutrimentis: ex ligno verò quercino, lumbricis, præſertim ſi addantur carbones ex turbetho, agarico, vel ſilere montano. Doſis eſt pulueris lignorũ grana decẽ. Aduerſatur etiam uermibus Galla quercina & theriaca, & quæ in minera cupri nigredo colligitur, omnium optima eſt. Inueniũtur ſimplicia plura, quæ vermibus expellendis vtiliſſima ſunt, quædam etiam Lignorum puluis. Doſis.

collo ſolum appenſa, liberant à vermibus, vt Linaria, & ſimilia, vt Bartholomeus Francofordianus, Empyricus Argentoratenſis aliquando mihi retulit: qui hoc tempore ſingulari ſimplicium cognitione, Argentorati floret. Theophraſtus hoc loco ait, Omnem medicinam qua vermes extinguuntur, venenũ eſſe. Quanquã enim Agaricus homini prodeſt, vt etiam Colocynthis, & alia: tamen vermibus venena ſunt.

DESCRIPTIO CVRAtionis vermium ex nutrimentis.

Aloës epaticæ drachmæ tres,
Myrrhæ drachma ſemis,
Trochiſcorũ de ſilere montano ad pondus omnium, fiat puluis.

Doſis. Doſis à drachma vſq; ad tres vel

qua-

quatuor. Vtetur eo ad aliquot dies.

Pueris da à semidrachma usque ad sesquidrachmam.

Alia.

Oleum Colcotharis coagulatum, ac denuò in suam substãtiam redactum, mirabliliter occidit vermes, viperas, bufones, araneas, misce tamen cum aceto.

Dosis grana duo uel tria. Dosis.

Obseruatio.

Aliqui grana quinque ponunt: medicus prudens dosin augere, uel minuere potest, pro ratione morbi, & personæ. Colcothar hîc Thephrastus appellat Calchanthum in rubedinem calcinatum: de quo oleum extrahitur præstantissimum. Vide libellum de Vitriolo. Aliâs Colcothar etiam caput mortuum dicitur. Vide Onomasticum nostrum. Colcothar quid.

Correctio Theophrasti.

Alkali de Colcothar ſcrupulum unum.

Agarici

Liquoris centaureæ,

Colocynthidis ſingulorū grana decem.

Olei de myrrha quantum ſufficit pro incorporatione: fiant trochiſci.

Doſis puero grana quinque. adulto decem.

CONTRA VERMES *ex mineralibus.*

Olei Hypericonis

Olei Mandellæ ſingulorum drachma.

Mumiæ præparatæ drachmæ duæ.

Liquoris aloës epaticæ ſeſquidrachma.

Cretæ

Cretæ marinæ quantum ſufficit pro incorporatione: reduc in troſchiſcos.

Mandella ſemen eſt ellebori albi.

CONTRA ASCARIDES.

Herbarum perforatæ,
Betonicæ, utriusq́; manipulum ſemis.
Trochiſcorũ de agarico drachma,
Myrrhæ drachma ſemis.
Reduc ad formam.

CONTRA VERMES EX elementatis, ſiue ſpermate: ſerpentes, ranas, & alios.

Calcanthi cuperoſi libras decem.
Alcohol uini libras uiginti.
Salis gemmæ libram ſemis.
Reduc per alembicum in reiterationem debitam, fiat oleum.

Huius Olei vncia semis,
Hæmatitis drachma semis,
Magnetis grana septem.

Obseruatio.

Omnes, qui ex spermate nascuntur vermes, hoc medicamine tolluntur: idq; prima statim dosi, si in ventriculo sint, in intestinis autē tardius, quare hoc in loco sæpè eo utendum erit. Qui si in matrice fuerint, cum melle, & sale medicamentum hoc in pessarij formam redigas: quod in matrice tandiu relinquendum, dum vltrò excidat. Quod si in matrice vermes moriantur: neq; tamen inde exeant, pulegio siue alijs menses prouocentur, & mox exibunt.

Cuperosum uitriolum siue calcanthum est, quod cum cupro coquitur. Atq; hæc de vermibus.

Pa-

PARAGRAPHORVM PHILIPPI THEO. PAracelsi Philosophi & medici summi.

LIBER III. DE MORBIS CADVCIS.

CAPVT I.

PARAGRAPHVS I.


MNIS LAPSVS A caduci specie descendit, per generationem caducam à cerebro. Cerebri potentia, est prima rerum conseruatio, propter Cerebellum. Sed membrorum lapsus, vel caducus materialis, est paroxismus descendens à nucha ex parte cerebri. Ergo lapsus à cere-

cerebro: paroxiſmus eſt occipitis: ſigna uerò ex motione totius corporis: cadunt, & ſpuma eijciunt.

EXPLICATIO.

In hoc libro morbum caducum cum ſuis ſpeciebus, eiusq; curam explicat: de quo in alijs etiam libris multa ſcripſit: hanc fortè ob cauſam, quod morbus varius, grauis, horribilis, & difficilis curatu exiſtit. Non enim curationem nullam recipit, ut quidam arbitrantur: ſed tolli poteſt diuina gratia, ſi cerebrum vitiatum non eſt. Vbi autem hoc corruptum eſt, fruſtra medicina adhibetur. In hoc autem primo paragrapho oſtendit morbi huius originem, atq; ſigna, in quibus lapſus, ſiue caſus eſt. In alijs ſuis libris hunc morbum caducum rectè appellari ait: nimi-

Cur multa de hoc morbo ſcripſerit.

Morbi origo.

nimirum à cadendo omnesq; sub hoc genere species eius comprehendi opor tere, quæ quia unã habẽt originẽ, eandem etiam curam desiderant. Ponit autem in alijs libris quinq; huius morbi species: unam cerebri, alteram cordis, tertiam epatis, quartam ventriculi, membrorum verò cæterorum quintam. Species. Membrorum.

Duplex igitur eius est distinctio: Nam ex elementis quadruplex est, ex membris uerò corporis quinq; sub se species habet. Elementorum.

Causa vapor est, siue ventus, ex tribus primis Mercurio, sulphure, atque sale conflatus, per elementorum astra: de quibus pauca huc ex alijs autoris huius libris, ad hæc melius intelligenda adferam. In libro igitur de caduco scribit: Deum optimum maximum Causa.

Cur Deus hunc morbum homini dederit.

mum idcirco homini hunc morbum dedisse: quia cùm homo microcosmu sit, ex microcosmo conflatus, necesse fuisse in homine etiam omnia esse quæ sunt in mundo maiore: quæ mino ris mundi theoria, atq; anatomia est ex qua homo totus cognoscitur: qu elementa externa totius humanæ su stantiæ figuræ sunt. Ex hoc funda mento morbus iste dijudicandus est.

Mundum medicus cognoscat.

Quare medicus mundũ vt probè cog noscat, necesse est. In mundo auten quatuor elementa, tanquam rerum omnium matrices, sunt: & in quol bet tria prima principia reperiuntur.

Elementorum astra.

Vnum quodq; elementum suum astr habet: ex quo morbus oritur: vnc

Morbi species.

quatuor eius species sunt: vna ex ign est, vt fulgur in mundo: altera ex te ra, vt terremotus: tertia ex aqua, qu

est tan

est tanquam aquarum commotio: ex
mère quarta nascitur: similis ferè ei,
quæ ex igne est: nisi quod hæc species
omnium est mitissima: & siue symptomatis, quæ in prima oriuntur. In
homine enim non minus quatuor elementa sunt, quàm in mundo, & elementorum corpora manifesta quidem
sunt, astra vero eorum occultantur:
quæ per Mercurium, sal, & sulphur
testam in homine faciunt, in qua natura, tanquam fulmen, aut terræmotus, aut aquarũ quasi motus quidam,
donec maturescat, continetur. Duæ enim in elemẽto quolibet naturæ sunt:
Fructus, qui noti sunt: & impreßio,
ex qua morbus, tanquam ex sua causa, oritur, qui veluti in cœlo fulmẽ est.
Eandem enim vtrunq; originem habet, & quæ hunc morbum, eiusdemq;

Duæ elementorũ naturæ.

generationē rectè cognoſcere cupit: is tempeſtates, tonitrua, fulguraq́, & ſimilia diligenter conſideret. Vbi enim ſigna horum ex animalium cantu, volatu, atq; geſtibus: effectum item horribilem, & quæ exitum conſequuntur, adnimaduertet: facilè huius etiā morbi initium, medium atq́; finem intelliget. Quare futuro medico Theophraſti metheora diligenter euoluenda ſunt. Nam in homine quoq;, antequam morbus illum inuadit, oculi ſcintillant, nebulæ obijciuntur, ingenium grauatur, mutaturq́; intellectus. Poſt vbi morbus veluti ſemen aliquod in arborem (aſtris in ſuo vere exiſtentibus) conceptus ſuccreuit, ac maturuit: tum prima illa principia Mercurius, ſal, & ſulphur impetum in corpore faciunt, ventūq;, rupto, in quo veluti in

Metheora Theophraſti diſcēda.

teſta

esta latuit, centro, excitant: qui ad cerebrum primum contendit, eiq; omnem sensum adimit, corpus totum concutit, membraq; distendit, quassat, ac incuruat.

Obseruandum etiam est id, quod Theophrastus in libro de signis cœlestibus monet: caducum esse duplicem: alios certo tempore, neq; subito, sed casum quasi præsentiẽtes cadere: alios uero subitò, nihilq; sentientes cadere, hos facilius curari, illis autem morbum lethalem esse. Huius igitur couulsionis causa materialis vapor est ex tribus primis, quem astra efficiunt in chao corporis: principium verò paroxismi in cerebro sit: quod hunc impetum nequit sustinere. Post paroxismum requiescit homo, donec Sol microcosmi eum iterum illustret ratione, vt æger

Principiũ morbi duplex.

Materia morbi vapor est.

Paroxismi principium in cerebro.

sanitati suæ restituatur.

Signa. Signa ex paroxismo ait esse colligenda: ponitque duo solum, casum, & spumam: tametsi plura sunt: vt iectigatio, membrorum motus, exclamatio subita, somnus. Signa autem omnia ex gradibus, qui paroxismum faciunt, eruenda sunt. Hij enim ex elementorum astris robur suum habent: vnde ex igne grauiss. dolor, & horribilia symptomata oriuntur. Ex terra remißior est, ex aqua magis remissus, ex aëre verò cæteris omnibus lenior.

Signa vnde colligenda.

Paroxismi mixti. Sed accidit interdum vt vnius elementi morbus in aliud sese mutet: fiuntque mixti paroxismi, interdum duo, tria, aut omnia quatuor corporis elementa simul patiuntur: hinc & dolor grauior, magisque diuturnus existit.

Simile. Quemadmodum autem accidit, vt

hæc

hæc vel illa mundi plaga magis, quàm cæteræ, & hoc vel illo tempore magis quàm alio, tempeſtatibus, & aquarũ inundationibus infeſtetur, ſic etiam hominibus contingit. Tempus autem vt medicus prædicat, ex quadruplici naturæ aſtronomia iudicandum eſt.

PARAGRAPH. II.

Nunc quæ ægritudines ad caduca genera pertinent, ſunt iſtæ: Epilepſiæ omnes ſpecies: ſuffocatio matricis extra locum, ſyncope cum ſuis generibus, videlicet deliquiũ rediens, & ſyncope non rediens, vertigines, & id genus.

EXPLICATIO.

Nunc ſpecies morbi caduci enumerat, quæ cum lapſu fiunt: primùm

Species epilepsiæ. *omnes epilepsiæ species, deinde matricis suffocationem, quàm alij præfocationem, alij vterina symptomata vocant: quæ fit quando matrix mouetur loco: & hinc inde sursum, deorsumq́ errat.* *Syncope.* *Syncopen duplicem facit, vnam deliquium animi rediens, quod grauius est, causasq́ varias habet: alteram non rediens: quod semel tantum quis patitur: quod minus graue est: & interdum ex longiore tantum à cibis abstinentia fit.* *Vertigo.* *Vertigines etiam variæ sunt: quidam enim eo laborantes morbo, cadunt, alij minus. Omnes autem species eandem curam habent.*

Matricis suffocatio.

PARAGRAPHVS III.

Sunt & plures ægritudines caduci sine lapsu: Tetanus, spasmus, tortura oris, quæ statim con-

conuelluntur, & obstipant: & vniuersalis apoplexia, contractura, paralysis, incuruatio spinæ dorsi, aut particularis membri cum suis speciebus, synthenæ virorum, & mulierum.

EXPLICATIO.

Quædam caduci species cum lapsu fiunt: de quibus secundo paragrapho dixit: quædam sine lapsu hominem inuadunt: quas hîc recenset. Hæ non minus è cerebro principium habent, quàm superiores. Ideo non ex gutta sunt, sed ex caduco: quare etiam ijs curantur rebus, quibus caducus. Apoplexia vniuersalis, ab epilepsia quoque venit: & cum spasmo statim inuadit: quãdo oculos contorquẽt, & dentibus fremũt. Nã cùm ex gutta apoplexia oritur, spumas eyciunt, hominesque con

Caducus sine lapsu.

Apoplexia uniuersalis

Ex gutta.

tinenter cum ſtupore intuentur, & nigreſcunt. Sic Paralyſis, quæ ex gutta venit, lenior eſt, & ſpumam in ore efficit: ſomnumq́; inducit: quæ vero tanguntur membra, collabuntur. At hæc non ſunt huius loci: quæ autem ex caduco eſt Paralyſis, in cerebro incipit: & in eo latere, quod tangitur, ſpaſmus, ſiue tetanus naſcitur. Incuruatio ſpinæ dorſi fit, quando dorſum incuruatur, quæ ſynthena eſt caduci. Eſt alia ſynthena apoplectica, quando ſpumant hoc morbo correpti, & aquam ore eijciūt: ac tam viros quàm mulieres inuadit. Ea fit, quando pedes nimis refrigerantur, ſiue cum frigidiore tempore flumina tranſeunt, vt in bellis ſæpè ſolet fieri, ſiue alijs rationibus: morbusq́; aliquot poſt diebus iterum reuertitur. Euenit interdum albis menſibus fluentibus:

Paralyſis ex gutta.

Ex caduco.

Synthena caduci.

Synthena apoplectica.

quibus cessantibus, morbus quoq; cessat. Quin & in morbis acutis fit, quādo manuum tremorem conqueruntur, quod lęthale esse solet. Analepsia est, quando nasus albescere incipit. In catalepsia arctè dormiunt, quando morbus illos inuadit. Epilepsia sputum album diu ante paroxismum efficit. Est mihi mulier quędam nota, quę Paroxismum epilepticum pręuidet: itaque cùm vel ad aquas lauat, discedit, vel si domi est, aut in eo loco manet, in quo est: aut in alium abit: mox vrinā reddit, vbicunq; est, deinde oculis apertis quasi stupida, hinc inde circumspicit, & vel stat, vel ad colum accedit, vel aliquid huc illuc defert, vel sedet, nihilq; loquitur, & quid agat, planè ignorat. Raro autem cadit: vbi ad se reuertitur, quęrit, quid egerit. Syn-

Analepsia.

Catalepsia.

Epilepsia.

Exemplū notabile.

Syncopiæ. copiæ animi ſunt deliquia: quando in ſtomacho dolores ac tormina oriuntur cùm ægri ad ſe à paroxiſmo redeunt, homines agnoſcunt. Fuit quidam Argentorati eiuſmodi deliquio correptus adeò grauiter, vti digitos incuruarit, & rationem amiſerit: quod cùm ex ventriculi torſionibus prouenire intellexiſſet doctor Damianus Auguſtanus medicus, diſcußis medicina flatibus ægrum in momento reſtituit ſanitati.

Vertigo. Vertigo oritur ſæpè cùm vel aquas homines inſpiciunt, vel in altum conſcendũt, uel ſurſum oculos tollunt: ſi cadunt eadem quæ caduci, cura eſt: quemadmodum etiam in alijs ſpeciebus, quæ ſigna epileptica habent: quas omnes difficulter aliquis enumerabit.

Caput

CAPVT II.

Causæ & loci affecti declaratio.

PARAGRAPHVS I.

CAusa totius morbi in chao est: nam cætera, quæ in caducum transeunt: partem suam habent in chao Per hoc elementum descendunt, & ascendunt per modũ Tetani & spasmi. Alius est morbi realgar in chao, & alius aquæ.

EXPLICATIO.

In hoc capite causam, locumq; affectum exponit. Ad cognoscendum autem rectius morbum caducum, elemẽta consideranda sunt, quemadmodum superius etiam añotaui. Vnum quodq; enim elementum suam caduci speciem generat. Chaos ut in terra est, sic etiam in ho-

Elementa consideranda esse.

Chaos quid.

in homine. Eſt enim chaos aër per totum corpus, ſicut in exterioribus diffuſum: neq; in calore eſt, aut igne, ſed veluti in maiore mundo venti concurrunt: ſic in caduco cauſa morbi veluti ſpaſmus quidam per chaos deſcendit, aſcenditq;. Realgar morbus eſt, qui ex mineralibus originē ducit, duplex autem hoc in loco Realgar facit, vnū aquæ, alterum aëris: ſed eſt etiam realgar terræ & ignis, vt eſt ante dictum.

Simile.

Realgar.

Duplex.

PARAGRAPHVS II.

Materiata cum hæc eſt: quæ in mineralibus chaos eſt: ex iſtis mineris prima cauſa ſeu generatio caduci, & ſpecierum. Medico eſt ſciendum, quod quatuor ſint mineralia, & morborum elementa quatuor in phyſica, & chyrurgia.

Expli-

EXPLICATIO.

Primam caduci, & specierum eius generationem ex mineralibus esse docet: quæ morbi sunt materia. Sunt autem mineræ nihil aliud quàm elementa. Et cùm quatuor mineralium genera sint: totidem etiam ex ijs morbi oriuntur. In chao igitur morbi elementū siue mineram considerabimus: ex quo non alius morbus quàm caducus generatur. Ex aëris igitur elemento caduci quoq; curam sumere necesse est. *Mineræ morbi.* *Caducus ex Chao.*

PARAGRAPH. III.

Locus causę in Chao est: nam sicut in alijs partibus mineralia sua faciunt: ita & in chao. Sciendum ergo, quod causæ totius morbi mineralia sunt, & species morbi, species Mercurij.

Expli-

EXPLICATIO.

Mercurius causa morbi efficiens est.

Causam exponit efficientem, quæ est ex Mercurio, quando hîc vnà cum chao limites suos eleuatus transcēdit: tum caducus excitatur. Quot sunt igitur species Mercurij: tot etiam species caduci esse scias: quarum motum Mercurij eleuati species imitantur. Morbus adeò vehemens est, vt à loborantibus non sentiatur, quia dormiunt. Atq; hæc vera analepsiæ species est.

PARAGRAPHVS IIII.

Pono similitudinem causæ huius morbi in chaos: Seldonij alkali, croco pontico, aut tereniabin. Nam sicut ista in positum penetrant, nouã generationem faciunt, ita & Mercurij generatio ostendit periculum, pertransit mem-

sit membra & iuxta membri paroxismum abit.

EXPLICATIO.

Diu me Paragraphus iste trosit propter variam, ac deprauatam eius lectionem. Nam & auditores, & annotationum descriptores à Paracelsi sensu aberrarunt. Quidam legunt heldanio, alij Seldonio: quibus significatur color perfectè viridis, ex acinis Rhamni arboris, sub autumnum collectis: quam Germanicè **safftgrün/** *vel* **sat grün** *appellamus.* Simile.

Similitudine autem à rebus naturalibus ducta, morbi causam declarat. Quemadmodum enim crocus, & colores aquã tingunt: & sicut mel eandem sua dulcedine suauem efficit, & immutat: fel verò amarã reddit: ita etiam paroxismus epilepticus qui non

ex Cere-

ex Cerebro, ſed ex chao membra mo=uet, & ad Mercurij conſumptionem ducat: quæ cum prope adeſt: paroxiſ=mus uentriculum atq; inteſtina ſuo impetu inuertit. Eſt enim hæc ſpecies a=deo vehemens, vt impetu ſuo mortem adferre ſoleat.

CAPVT III.

De diæta.

PARAGRAPHVS I.

DIeta caduci, eſt cura totius ęgritudinis. Sunt enim medicamenta caduci morbi nutrimenta morbi. Nutrimentorum verò duo ſunt genera: vnum quod morbum facit: alterum quod eundem expellit: vt fœtor carnis caprinę prouocat, anguillę verò decoctio medetur: idem de muſſulis & agnis iudicandũ eſt.

Expli-

EXPLICATIO.

Explicatis morbi causis, ad dietam accedit: in qua totius morbi huius curam contineri ostendit: quia ex nutrimentis sumenda sit. Quamobrem duo nutrimentorum genera facit: vnum quod caducum excitat, vt caprina caro fœtens: alterum, quod medetur: vt anguillæ coctæ, præsertim à principio. Sic etiam Scyuri nigricantes, quos mussulas vocat, morbum generant, quoniam eidem sunt obnoxij: agnina verò caro prodest. Est in Polonia species coturnicum pedibus viridibus, qui comesti morbum comitialem certò inducunt. Similia multa sunt. Hanc ob causam à pomorum etiam potu abstinendum est, cuius veneno lac ouium aduersatur. Vtriusq; generis plurima passim apud rerum

Cura in dieta est.

Nutrimēta duplicia.

naturalium ſcriptores reperiuntur.

PARAGRAPH. II.

Nutrimenta ægrorum in caduco ſunt iſta: viſcus quercinus pro ſale, ſemẽ pæoniȩ pro confectis: radix pirethri pro petroſelino: folia ellebori nigri probeta.

EXPLICATIO.

Præcedenti paragrapho docuit, quæ nutrimenta morbum concilient, quæq; eidem aduerſentur: iam enumerat ea, quæ in hoc morbo cotidie ſumpta conueniant. Qui igitur caduco laborant: ij viſco quercino in iuſculis pro ſale diebus ſingulis vtentur: quo & ægri pingueſcunt, & morbus ipſe mitigatur. Et qui eiuſmodi iuſculis veſcuntur, in quibus viſcus quercinus coctus eſt, neq; ſal aliud deſiderant: eos hoc morbo laborare certum eſt, ſemine

Quæ proſint nutrimenta.

mine pæoniæ confectionum loco vtentur pyrethrum veluti petroselnium in iusculis sument: sic etiam folijs hellebori nigri, quæ albis meliora sunt, quasi beta vescētur. Cuminum etiam, fœniculum, & rapæ paruæ dulciores in victu prosunt.

PARAGRAPH. III.

Ab his cauendum est: in quibus vitiosum sperma est: odor vitriolatus, ventorum generatio, libidinis prouocatio, acuitas essensificata.

EXPLICATIO.

A quibus nutrimertis abstinendum sit in hoc morbo, Theophrastus ostendit. Quæ sperma menstruosum habent, vt poma, pyra, & similia, quæq; odore calcanthum carbonibus ardentibus impositum referunt, obesse *Quæ nutrimenta cauendā.*

ſolent. Non minus ea, quæ flatuoſa ſunt, vt rapæ, raphani &c. item aromata: quæq; libidinem excitant. Mercurius enim ſublimatus paroxiſmum fumo ſuo excitat apoplexiæ, atq; epilepſiæ.

CAPVT IIII.

De Cura.

PARAGRAPH. I.

IN cura caduci præ manibus ſunt experimẽta, arcana cum experientia, & ingenia cum ſpeculatione, & plura elementata compoſita.

EXPLICATIO.

An caducus curari poſſit.

An curari morbus comitialis poſſit: & quibus remedijs, à multis diſputatum eſt. Videmus enim pauciſſ. hactenus ab hoc morbo liberatos eſſe. At neq; ætas, neq; ſexus, neq́; tempus quo

durauit morbus nobis obstant, quo minus curationem recipiat. Quæ igitur causa est, quod nõ fit, quod optamus? Primùm si cerebrum aliqua labe est infectum, nequidquam curationem adhibemus: deinde si medicinis huic affectui singulariter conuenientibus non vtemur, nihil proficiemus. Alterum in capitum anatomia hoc morbo laborantium apparet: quòd nullo in viuis corporibus argumento conijcere nobis licet: præterquam in curatione, si illa nobis non succedit. De altero præter cæteros Philosophos omnium optimè, atq; fidelißimè Paracelsus multis in libris scripsit: id quod etiam in hoc capite facit. Videmus enim non solum communibus medicamentis nihil in hoc morbo præstari, sed specificè etiam, Aurum, Corallos, Viscum quer

Cur non curetur.

cinum, cranium hominis, pæoniam, &c. suas virtutes non ostendere, sed spem nostram omnem fallere: cuius rei duæ mihi videntur esse causæ, vt etiam alibi sæpe indicaui. Nam & tempus ista colligendi necessarium, non obseruamus, & veras rerum præperationes negligimus.

Cur specifica virtutes suas in caduco non ostendant.

Antequam autem hunc paragraphum explicamus, hoc obseruandum proponimus: Caduco laborantes tales manere etiam sanitati restitutos, quales ante curationem fuerunt: siue ratione constiterint, siue ea spoliati fuerint.

Medicamenta huius curæ quadruplicia.

Nunc ad paragraphum: in quo docet in curatione morbi sacri quadruplicia esse medicamenta: Experimenta: arcana, ingenia, & elementata.

Experimentum.

Experimentum est remedium aliquod certum, quo non ad morbum, sed ad pa-

ad paroxiſmum tollendum vtimur: qualia plurima ab hominibus inueniuntur. Habent autem omnia experimenta in ſe arcana: ſed pleriq; ignorãt doſim. Tale autem in hoc morbo cranium hominis eſt: cuius hæc eſt præparatio. *Cranij humani.*

Calcinetur primum, deinde reuerberetur, atq; inde ſal eius extrahatur, ægroq; exhibeatur doſi certa, quæ experiendo inueſtigabitur: quod maximi eſt momenti, obſeruare. *Eius præparatio.*

Oleum etiam è cranio extrahitur, cuius grana tria dantur. *Oleum è cranio.*

Arcanum eſt, cùm quis contra medicorum canones ſanatur, quemadmodum per calcanthum fieri ſolet, quod morbum omninò auffert etiam inueteratum: quia ſingularem aduerſus illum vim ingenitam habet. *Arcanum quid eſt?*

DESCRIPTIO OLEI
Calcanthini contra caducum.

Oleum calcanthinũ. siue Vitrioli.

Calcanthi libras quindecim
Liquoris pæoniæ
Camphoræ
Rasuræ eboris
Spodij singulorum semunciam.

Distilla per retortam, vel per descensum, vsq; in colcothar, quo facto:
Liquoris huius libras tres,
Alcohol vini correcti
Aquarum melissæ
Valerianæ singulorum selibram.
Colcotharis librã integram.

Reduc per retortam.
Huius liquoris libra,
Colcotharis recentis libras duas.

Distil-

Distilla per violam per 24. horas, hoc ordine, quo tria elicies. Primò in balneo maris phlegma excipies: deinde iterata in arena distillatione habebis liquorem: postremò per ignem, vt vocant Spagiri, apertum, expelles oleum rubicundissimum.

Phlegma pueris exhibetur pondere drachmæ vnius ante paroxismum. Qui verò vltra vigesimum annum hoc morbo molestantur, ijs liquoris scrupulus propinandus erit. *Dosis.*

Quibus autem morbus vltra quadragesimum annum durauit, ij grana tria olei sumant.

Dabuntur autem ista cum aquis, siue chelidoniæ, siue valerianæ.

Obseruatio.

Hoc obseruandum est: calcanthū siue Romanum, siue Vngaricum illud *Calcanthū quale eligendum.*

E v

ſit, eligendum eſſe id, quod Venerem non ſapiat: deinde in prima diſtillatione calcanthi, quæ fit cum pæonia, tunc ceſſandum eſſe, cùm vas recipiens lacteum apparet: liquore in fundo reſidente.

Ingenium. *Ingenium eſt, quod manuum requirit operam: ſed neq; ſcarificatio, neque venæ ſectio in caduco proſunt: apertione ſaltem opus eſt in capite, in quo morbus exitum quærit: quem vbi inuenerit, paroximus tollitur. Quarę mox à paroxiſmo ſomnus prouocetur, vt commodius cranium hominis perforetur inſtrumento cenigato: quo facto, foramen ne claudatur, ſed lycinium imponatur, quod barbari tentam magiſtralem vocant, tum foramini canna argentea infigatur, qua appoſito oppodelthoch circum circa*

vul-

vulnus cum carne vniatur, ac consolidetur. Ita dum per cannam vapores epileptici exhalant, morbus ægrum aut nihil, aut parum molestabit. Hoc ingenium in iuuenibus quidem locum habet, in senibus autem frustra adhibetur. Quidam dorsi spinam in summitate aperiunt: quæ quamdiu aperta est, ægri non cadunt. Hoc igitur in loco Theophrastus ingenium vocat ingeniosam chyrurgi operationem. Ingenium quid?

Iuuantur etiam, presertim iuuenes, infrigidatione, quæ fit camphora, spodio, vnicornu: qnoniam aërem coagulant: sed hæc cura ad tempus saltem durat. Idem egregiè quoq; præstat fel auiculæ, quam Germani regulum appellant, distillatum, præparatumq;. Balsamus etiam cum galbano nuchæ inunctus post paroxismum vtilis est. Cura palliatiua.

Casto-

Castorium quoq; non inutiliter adhibetur, præsertim cum alijs.

Elementata. *Elementata composita plura sunt: quales sunt species thereniabin: Manna, thronus, ros.* *Manna.* *Manna est ros exiccatus, cuius species est apud Auicennam thereniabin. Soluit paroxismum, si ab eo separetur purum ab impuro: cuius deinde cottidie guttæ tres in vino sumẽdæ sunt. Mulieribus magis quàm viris conuenit.*

Thronus. *Thronus in Maio cadit, omniumq́; aëris fructuũ dulcissimus est: ex Mercurio coagulatus: densus, & lentus, benè coloratus, ad albedinem tẽdens: ille idem eadem dosi præstat.* *Ros.* *Ros Maialis distillatur per balneum maris: prodest in apoplexia, & paralysi epileptica. Ros verò Iunij Syncopen & Synthenam tollit.*

Dis-

Differt ros à Throno, primùm dulcedine, deinde materia, ille enim grauior eſt, & ex Mercurio, neq; paſſim cadit: hic verò leuior, & ex ſale reſoluto procreatur. De his vide Theoph. in libris de fructibus elementorũ. Throni & roris differentia.

Ex ſanguine etiam humano remedium aduerſus hunc morbum paratur, hoc modo. Sanguinis humani remedium.

Sanguinis hominis ſani vncias tres,

Alcohol vini vnciam ſemis: poſt digeſtiones diſtilla bis: tum iterum pone in digeſtionem ventris equini, ſeſquimenſem, donec aquæ geminæ appareant, ſuperior alba, inferior aurea, quæ ſeparata ab altera, ad hunc morbum aufferendum opt. eſt.

Eius doſis eſt ſcrupulus in menſe ſemel in nouilunio per integrum annum, Doſis.

num, hæc medicina & mitigat morbum, & tollit.

Radix etiam pirethri, & pæoniæ per se distillata valent.

PROBATIO CADVCO laborantis.

Quod si velis experiri an quis vel hoc morbo laboret, vel ab eo perfectè liberatus sit: Accipe cornuum caprinorum drachmam dimidiam, asæ fœtidæ tantundem, pone super carbones ardentes, fac vt caduco laborans fumum ad se recipiat: Si laborat, aut à morbo rectè curatus non est, mox cadet: sin minus, minimè cadet. Sunt etiam apud alios, qui de morbis scripserunt plura, quibus idipsum experiri possumus. Medicus etiam diligens cotidiana praxi plura obseruabit, quæ

ad horribilem istum morbum vel cognoscendum, vel curandum facient: qui maximam cum cœlo affinitatem habet, quam Astronomia vera demonstrabit.

PARAGRAPHORVM

PHILIPPI THEO. PAcelsi Philosophi & medici summi.

LIBER IIII.

DE VNDIMIA SIVE MORBIS RESOLVTIS.

PARAGRAPHVS I.

HVIVS MORBI MAtrix Elementum aquæ est: cuius proprietas, & esse est ex congelatis. Quia sicut aër est chaos, ita tanquam

quam glacies hoc elementum in corpore existens est, natura mucilaginosum, cristallinum, & gluten, vt clarum oui.

EXPLICATIO.

Hyposarcha, siue hydrops.

In hoc libro Hyposarcham tractat, quem morbum cùm ex resolutione fiat, Vndimiam, quasi Vndosum, appellat.

Origo eius.

Origo enim eius ex elemento aquæ est, quod in corpore nostro mucilaginosum, congelatumq́; est: & quasi cristallinum, ac veluti gluten, vel oui clarum: quæ congelatio cùm dissoluitur, Vndimiæ initium præbet: vnde etiam morbus resolutus appellari potest. Vndimiæ igitur, atq; hyposarchæ appellatione omnes hydropisis species intelligit: quæ nihil est aliud, quàm resolutum alumen.

Para-

PARAGRAPH. II.

Quod si hęc elemẽtata, vel ex speciebus species vnà sumeret resolutionem, principium morbi vndimiæ primum est, iuxta qualitatẽ speciei, aut omnium, & ex quibus ducit originem: Vndimia Rocha, vel scissa, vel glaciei, vel nitri.

EXPLICATIO.

Quomodo morbus iste fiat: & ex qua materia, ostendit: deinde species eius quatuor enumerat. In primo paragrapho dixit propriũ esse elementi aquæ, in corpore nostro existentis, vt sit congelatum. Quod si elementum hoc in suo esse nõ sit, resoluaturq́; congelatio, morbũ istum nasci Vndimiæ: qui per corporis membra spargitur: suaq́; frigiditate mortem inducit. Hu- *Quomodo morbus fiat.*

Huius etiam elementi aquæ sunt, quæ in vulneribus apparent, quas Theophrastus libro quarto de tartaro, secundo capite gluten album appellat.

Synouia. *Chyrurgi Synouiam vocāt: quæ cùm est in corpore, humor naturalis est, purus, subtilis, atq; vtilißimus. Cùm autem hic morbus alumen resolutum*

Species morbi. *sit, species etiam eius ex alumine sunt, vel Rocho, vel scisso, vel glaciei, vel*

Earum probatio. *nitri. Probatur hoc esse verum tripli-ci ratione: primò purgantibus: si enim*

I. *turbetum hoc morbo laborantes sumant, vnà cum excrementis, aut per vomitum aqua egredietur, quæ ad ignem cocta in alumen coagulabitur.*

II. *Deinde diureticis: si enim raphano maiore, & alijs vrinam prouocantibus, in potu vtuntur, in vrina quoq;*

III. *hyposarchæ species apparebit. Tertiò*

ex su-

ex ſudore quoq; iudicium fiet, quando ſemuncia theriacæ cum Euphorbij ſcrupulo dimidio in potu illis exhibebitur, ſudabunt: exiccatis deinde linteaminibus, excuſsisq;, puluis inſtar ſalis, decidet, morbi inditium.

PARAGRAPH. III.

Quæ minerę huius ſunt conditionis, vt Rochum, ſciſſum, glaciei, & nitri congelatio, naturam habent congelatam, aluminoſam, & aluminis crudi albuginoſam, cum exemplo prædictorum: ex vna parte gluten, ex altera parte liquor tenax in toto corpore.

EXPLICATIO.

Repetit materiam morbi, deinde ſigna oſtendit externa. Dixit Vndi-

dimiam ex alumine resoluto, eiusq́; speciebus esse: materia enim eius mineralia sunt: quæ etsi ex aqua generantur, eorumq́; natura est, vt in separatione archei in corpora solida coagulentur: tamen in corpore nostro non vt in maiore mundo solida sunt, sed congelata, ita vti resolui poßint: quod cum fit, hyposarcha siue hydrops nascitur: vtraq́; enim voce indifferenter vtitur. Cùm igitur alumen Rochum resoluitur, Rochi hyposarcha est: sic de scisso, glacie, nitro iudicandum.

Materia morbi.

Signa.

Signa plura sunt, quæ in humano corpore apparent: Palpebræ intumescunt, similiter & rasetæ, & cutis cauitates digitis impressas retinet, siue in manibus, pedibusq́;, siue in dorso, eiusq́; spina, tumor sit. Faciei etiam color alteratur. Mulieribus si profluuio

albo

albo laborarunt, cessanteq́; profluuio, cauitates in coxendicibus apparent, futuræ vndimiæ inditia erunt: quare nihil conuenientius est, quàm profluuium iterum prouocare: quod, quo diutius fluit, eo magis tutas ab hoc morbo mulieres reddit, Atq; hæc signa interdum sedecim annos, & amplius morbum præcedunt. Quod si in facie cauitates impressæ manent; signum mortis est: quæ in hoc morbo lentißima est. *Signum mortis.*

PARAGRAPHVS IIII.

Casus resolutionis cum causa est: elementatum accidens, terreum accidens à suo procedit resoluto: aëreum accidens ex coniunctione internorum & externorum elementorum: aqueum accidens à vaporibus vtriusq;

elementi permixti: ſed igneũ accidens ex ſpiritibus elementorum ſuorum.

EXPLICATIO.

Cauſa efficiens. *Materiam morbi dixit eſſe alumẽ, hîc caſum reſolutionis, hoc eſt cauſam efficientem, elementatum accidens eſſe oſtendit. Quatuor enim accidentibus, hoc eſt, quadruplici elementorum motu alumen reſolui ait. Vel enim terra in corpore noſtro mouetur, reſoluiturq; & morbum non efficit, ſed aquæ elementum cogit, vt Vndimiæ morbum inducat, ex alumine rocho reſoluto. Vel aëris elementum reſoluti aluminis cauſa eſt, aërisq; hypoſarchã facit. At ſi aquæ elementum ſine alterius elementi motu ſalia ſua reſoluit, hypoſarcham aquæ generat. Vbi verò ignis cum elemento aquæ afficitur, nomen*

Reſolutio terræ.

Aëris.

Aquæ.

Ignis.

men morbus ab igne habebit. Atque hæc propter curam maximè obseruanda nobis sunt: ut sciamus, Vnde sumenda cura sit.

PARAGRAPHVS V.

DE CVRA.

Diæta Vndimiæ medicina est: & si Vndimia sicca fuerit: medicina vtilis erit: si verò humida, perditionis signum.

EXPLICATIO.

Curationem in hoc paragrapho explicat: quæ partim in diæta, partim in medicina consistit. Facit autem Vndimiam duplicem, siccam & humidã: illam facilius, hanc verò difficulter curari dicit. Diæta seu victus ratio eiusmodi instituenda est, vt non tam nutriat, quàm etiam morbum, tanq̃ medicina extinguat.

Vndimia duplex.

Diæta.

Quæ in potu danda. Ideoq; in potu dantur vtiliter, quæ vrinam prouocant: quoniam humiditates secum educunt: vt Arthemisia & alia diuretica cocta cum carnibus. Lupulus in vino maceratus, & comestus, humiditates stomachi consumit. Fabæ, lentes, pisa, ciceres prosunt: panis ex fabacea farina coctus in hoc morbo optimus est. Assatæ carnes propter exiccationem vtiles quidem essent: sed quia ventriculus à vitioso humore corruptus est: difficulter illas digerit.

CVRA duplex. Curatio duplex est: primum enim purgandum est corpus, deinde specificis vtendum. *I. Purgatio* Purgatio successiuè continuanda est: itaq; proderit, in vino, quò vtetur æger, laxatiua infundere, veluti turbethum: in iusculis verò coquantur sileris montani vnciæ tres,

tres, aut quatuor: quæ purgatio in hoc morbo optima eſt: cæteræ verò, vt etiam clyſteres, parum proſunt. Interdum ſudor prouocabitur theriacæ ſemuncia, Euphorbij ſcrupulo. Manna, crocus Martis, liquor corallorum, dulcedo Saturni, in omnibus huius morbi ſpeciebus valent. Sic & Raphanus maior in aqua decoctus, & cum melle in electuarium redactus, vtiliſſimus eſt. In vera autem curatione primas inter medicamina partes habet Diacubebe: cuius compoſitiones in ſpeciebus ſingulis ſequentur.

II. Sudor.

III. Specifica.

DESCRIPTIO SPEciei primæ, hoc eſt, terræ.

Specierum diacubebe vncia
Carabe
Seminis plantaginis drach.

Anethi ſingulorũ drachma
Sachari mundati quantum ſufficit: fiat mixtura.

Doſis eſt ſcrupulus ſemis, mane & ſero.

Speciei ſecundæ aquæ ex alumine ſciſſo.

Specierum diacubebe vnciæ duæ, & ſemis.
Corallorum rubeorum.
Mumiæ,
Sanguinis draconis: ſingulorum drachmæ tres, fiant trochiſci cum tragacantho diſſoluto in aqua Endiuiæ.

Speciei tertiæ aëris, glaciei ſc.

Diacubebe vncia vna & ſemißis
Cubebarum drachmæ duæ,
Spodij

Cam-

Camphoræ
Rasuræ eboris, singulorum drachmæ dimidium: fiant trochisci vt supra.

Speciei quartæ, ignis & nitri.

Diacubebe drachmæ septem,
Zinziberis drachma,
Masticis drach. & semißis,
Alkakengi drachmæ tres, & dimidium: fiant trochisci, vt supra. Hæc de hyposarcha.

PARAGRAPHORVM PHILIPPI THEOphrasti Paracelsi.

LIBER V.

DE MORBIS SICCIS, siue phthisi,

PARAGRAPHVS I.



VOD SI ELEMENtum igneum in suam siccitatem abit certum signum est, aliorum etiam elementorum consumptionis.

EXPLICATIO.

Tabes quid?

Tabem siue phthisin morbum siccum appellat: qui nihil aliud est, quàm consumptio vel partium cum doloribus, vel totius corporis sine paroxismo, & doloribus. Primùm autem in corpore coagulatum resoluitur: deinde elementum ignis sua siccitate corporis partes, & reliqua tria elementa consumit: omnemq; superfluitatem vno & altero anno tollit: ac nihil de alimentis in partium nutrimentum attrahit: vnde vel partes, vel corpus

Morbus quomodo fiat.

totum

totum ſiccum efficitur, atq; extenua-tur. Iſta verò extenuatio fit ex occul-ta cœli impreſsione. Theophraſtus ali bi Aridurã vocat. Hic autem morbus vel vnius, aut pluriũ membrorũ, vel totius corporis: neq; Pulmonis tantũ hoc vitium eſt, ſed etiã cerebri, cordis, epatis, renum, lienis, & aliarũ parti-um: vt carnis, oſsiũ, venarũ, neruorũ articulorũ, ſynouiæ, medullarũ, &c. Vno verò nomine ſpecies omnes com-prehenduntur, quæ ex ſignis, quæ va-ria ſunt, percipiuntur. Tremor cor con ſumi ſignificat: tuſsis, & puris excre-atio, pulmonẽ læſum indicat: vrinæ co pia, epatis & renum vitia oſtendit. Epatis etiam tuſsis eſt, & renum in-flammatio, punctiones, & dolores la-terum, epar, & lienem conſumi por-tendunt: ardor fellis eſt: ventriculi

Aridura.

Quarum partium ſit.

Signa par-tium.

gra-

grauitas, & compreßio. Caro cauitates, & scissuras patitur: quæ in genubus periculosæ sunt: nerui contrahuntur, sanguis exiccatur: Synouia doloribus afficitur. Atq; hæc est partiū cōsumptio: quæ doloribus suis nō caret.

Signa vniuersalia. *At vniuersalis totius corporis tabes & tarda est, & mitior: corpusq; sine cruciatu extenuat. Si cutis diffinditur, præsertim circa genua, curari morbus minimè potest.*

PARAGRAPHVS II.

Quare notandum, quòd siccitas ignis minutionem corporis facit: propter humiditatem. Pars sicca, & cruda mors est: humiditatis vero ipsa ægritudo.

EXPLICATIO.

Causa morborum siccorum, neq; opila-

pilatio vere est, neq; catharri: qui humidi sunt: sed occulta cœli impreßio. Sol enim microcosmi corporis humiditatem omnem consumit, unde membra, corpusq; exiccantur: ac tandem mors inducitur, siue membrorum tantûm, siue corporis totius. Causa morbi efficiens.

CVRA.

Cùm hic morbus semel expellitur, amplius non redit: in eius autem curatione primum diæta obseruanda est: deinde medicina. In libro de Aridura Theophrastus docet: Corpus ita humectandum esse: vt Sol miscrocosmi perpetuò quod consumat, habeat: idq; præcipue per arcana fieri posse: per quæ medicus cœlum, vnde morbi oriuntur, cogit: nouumq; cœlum facit. In hoc autem morbo summum est arcanum margaritarum liquor: qui Elixir I. Diæta. Arcana.

est, de

est, de quo vide Archidoxa.

In cibo potuq; quæ addenda.

In cibo, & potu exhibenda sunt huic morbo couenientia: Liquiritia, Polypodium, lentes, vuæ passæ, portulaca, lactuca cum seminibus, raphanus vterq;, beta rubea, betonica, carduus benedictus, nuces pineæ, maluæ species omnes.

Medicinæ. Aqua hederæ terrestris.

Inter ea, quæ intra corpus sumuntur, aqua hederæ terrestris cum tertia parte aquæ portulacæ in hoc morbo singulare est. Quod si vena aliqua rupta fuerit, addatur etiam pars tertia aquæ cyclaminis.

Laudatur maximè diacorallorum compositio in tabe, quæ talis est.

DIACORALLORVM.

Diacorallorum.

Corallorum rubeorum & alborum singulorum vnciæ sex.

Olei, siue liquoris de camphora.

Spo-

Spodij.
Sem. lactucæ singulorum drachmæ tres.
Florum stybij
Croci Martis, singulorũ sescuncia.

Reduc ad formam electarij cum tragacantho, siue gumi Arabico.

Dosis huius est à drachmis duabus vsq; ad 5. aut 6.

Hoc vtetur æger donec in vrina nulla amplius spuma appareat: & vrina suum iterũ pondus consequatur. Alterum in his morbis arcanũ stybiũ est: propterea quod hoc Saturnum, qui hîc dominatur, in stellam Veneris benigniorem transmutat. Stybium.

Sunt experimenta quædam, quæ exterius adhibentur: Primum est vnguentum ex pinguedine gliris monta- Experimẽta topica.

ni, quem vulgò murmentum appellãt.

I. Vnguentum. Pinguedinis murmentorum libras quinque.

Medullæ bouis libram,

Taxi lib. ſemis,

Olei amigdalarum amararum ad pondus omnium,

Vini rubei quantum ſufficit pro decoctione, redigito ad vnguenti formam: quo vtatur donec vrina mutetur.

II. Balneum. Alterum experimentum balneum eſt: quod ita fit:

Aquæ reſolutæ

Herbæ Valerianæ

Arnogloſſæ ſingularũ quantum ſufficit pro balneo, decoquantur, tandẽ aquæ ab herbis ſeparatæ adde.

Calchanthi albi

Marcaſitæ argenti, ſingulorum

rum

rum vncias duas

Calcanthi communis

Aluminis Rochi singulorum selibram,

Sulphuris viui libram, fiat balneum.

Hoc balneo vtatur æger per octiduum, deinde addatur balneo carabe triti sescuntia, balneetque adhuc septimanas nouem, & amplius. Hæc de morbis siccis.

PARAGRAPHORVM PHILIPPI THEOPHRAsti Paracelsi

LIBER VI.

DE LEPRA.

Capitis primi.

PARAGRAPH. I.

LEPRA EST CORporis elementati putrefactio cum mineralibus suis. Quatuor igitur lepræ species sunt. Est etiam lepra mixta, & composita, atq; etiam vniuersalis.

EXPLICATIO.

Lepra à Theophrasto curata.

De Lepra in hoc libro agit: quam Theophrastus multis in locis curauit: vt etiam eius epitaphio Salisburgi, vbi maximè claruit, ipsi erecto constat. Non enim morbus hic curari nequit, sed æque atq; alij affectus, si non est hæreditarius, sanari potest arcanis: de quibus capite quarto tractabitur. In

In hoc autem primo paragrapho primum morbum definit: deinde eius enumerat ſpecies. Lepra nihil aliud eſt, quàm corporis putrefactio, ex qua morbus naſcitur. Primùm autẽ lepra vel ex elementis oritur in membris minus principalibus, vnde quatuor eius ſpecies recenſet: terræ, aquæ, aëris, ignis: vel in principalibus membris extra elementa lepra naſcitur. Deinde vnicum interdum elementum tantumodo putreſcit: vnde ſimplex lepra dicitur: interdum duo, vel plura ſimul putreſcunt, quæ mixta, ſiue compoſita eſt. Quod ſi omnia ſimul putreſcunt elemẽta, uniuerſalis lepra appellatur: cuius certiſſimum ſignum eſt, ſi digitus, auricula, naſus, decidat. Cùm vnũ ſolummodo elementum putreſcit, vel etiam duo, reliqua elementa, & natu-

Lepra quid?

Eius diuiſio.

Subdiuiſio

Lepra ſimplex.

Compoſita.

Vniuerſalis.

ræ liquor faciunt, quo minus corpus totum putrefiat. Cuiuscunq; autem elementi mineralia causam præbent putrefactionis, eius membri mors sequitur: vt etiam membrorum principalium, cùm in iis lepra incipit. Sed nunc ad species singulas accedamus. Cùm igitur terra lepræ causa est, putrefactio in carne incipit: in extremis scilicet partibus, vt in facie. Vbi aqua lepræ dat principium, pedes intumescunt, neq; frigus ferre possunt. Intumescunt etiam pudenda, in quibus eiusmodi incidūt vlcera quæ curari difficulter possunt. Aër, quem chaos appellat, grauem oris anhelitum reddit, sensum & colorem totius auffert corporis. Ignis lepra per totum corpus vlcera sanguinea excitat. (Germanicè vocamus aysslin) quæ vehementer

Membrorum mors.

Signa Lepræ.

Terræ.

Aquæ.

Aëris.

Ignis.

vrunt:

vrunt & sanata recrudescũt quotañis. Quæ in membris principalibus incipit non ab elementis, principalium membrorum, vt ante dixi, mortem adfert. In pulmonis lepra eiusdem inficiuntur mineralia: & vox raucescit. Si verò pedes prius intumescant, commixta lepra erit, cum lepra aquæ. Lepram epatis ostendunt tussis sedata, cutis scabies, cuius squamæ non decidunt. Quando vesicam lepra inficit, perpetuò pus meiere solent, priapi exulcerantur, neq; facilè curari possunt: ac sæpè recrudescunt. Splenem esse leprosum, arena in sanguine, & ceruleus color indicat. Si quis cor leprosum habeat, circa os ventriculi rosionem sentiet: inferius autem in spina dorsi fistulæ oriuntur. Cùm scarificant, & sese fricant, squammæ decidunt. In

Lepra membrorum principalium.

Pulmonis.

Epatis.

Vesicæ.

Splenis.

Cordis.

Renum. *renum lepra vrina alba est, & aquosa: pulsus debilis, dentens dolere incipiunt, ac tandem etiam decidunt.* *Fellis.* *Fellis lepra vomitum excitat magnum: interdum per semestre, interdum etiã longius, & super linguam vlcuscula crescunt.* *Cerebri.* *Cerebri lepra pus fœtens creat: per nares loquuntur, quanquam palatus læsus non est: frons autem & oculi inflantur, & in nucha pruritus excitatur.*

PARAGRAPHVS II.

Zephena primum signum in lepra, & acumina: item color Lazurius, vel compositus cum alteratione

EXPLICATIO.

Signa lepræ vniuersalia. *Superius explicata sunt specierum singularum signa: hîc vniuersalia tradit.* *Zephena.* *Primum est Zephena, siue Zephenum*

phenum: quo intelligit iustam cuiuscunq; emunctorij corporis symmetriam: vt oris, narium, oculorum, vuluæ &c. in quibus vbi lepra incidit, symmetria omnis amittitur, omniaq́; in circulum alienũ abeunt. Os non solum cõtrahitur, sed etiam sermo alteratur: aures rubescũt: circulumq́; suũ mutant: sic etiam nares: priapus inflectitur. Alterum signum vniuersale est acumen: omnia enim membra magis acuta reddit lepra: vt in naribus, digitisq́; manuum atq; pedum adparet. Tertium signum est color Lazurius, Orizeus, & interdum compositus. Ille quicunq; tandem est color, in Zephenis, & acuminibus omnium optimè adparet, Orizeum puniceum appellat (purpurbraun) vt in auro calcinato est. vbi plures sunt coniuncti, vt fe- Acumen. Colores.

rè plures in lepra ſunt: compoſitum colorem appellat, cum alteratione: non enim colores fixi ſunt, & permanentes, ſed mutantur.

CAPVT II.

DE LEPROSORVM examine.

PARAGRAPHVS I.

De iudicijs lepræ ex accidente.

LEproſorum examen ex his cognoſcitur ſignis: primum ex vrina ſcatea: ſecundum ex ſtercoribus, & eſt de lepra ex accidente, cum prima ſpecie per urinam, in ſtomachi regionibus cum inteſtinorum partibus.

EXPLICATIO.

Triplex

Triplex lepræ eſt origo: vel enim ex accidente naſcitur, vel à caſu venit, vel à natura innata oritur. Triplex igitur leproſorum examen tradit: primum eius, quæ ex accidente eſt, cuius duplex eſt iuditium, alterum ex vrina, alterum verò ex ſtercoribus ſumitur. Si enim vrina ſcatea eſt, lepram indicat, ſed obſeruandum tamen eſt, eſſe quædam præſeruatiua, quæ vrinam corrigunt, ne deprehendi morbus poßit. Quare ſi de vrina alicuius, qui de lepra ſuſpectus eſt, iuditium ſumere velis certum: da operam, vt æger ab iſtis præſeruatiuis triduũ, aut quatriduum abſtineat: quo facto, vrinam eius, ſi ſcatea eſt, in aquã calidam pone, orbeq́ fraxineo vitrum obtura pulte: ita enim in aqu a calida vrina diſtillans orbi adhærebit: qui ſic Origo lepræ triplex. Examen triplex. 1. Ex accidente. Vrinæ. Obſeruatio

catus,

catus, si aspredinem quandam habeat, ac si sale conspersus esset, certissimum lepræ signum erit.

Stercorum *Ex stercoribus verò hoc modo de lepra iudicabis: Si ægroti stercus aquæ iniectum terendo dissoluas, dissolutũ, vt in metallicis moris est, effundas: idq́ alia aqua affusa tandiu reiteres, donec stercus ferè nullum amplius reliquum erit: cùm in fundo materia salis instar residebit: iudicabis lepram in stomacho, & intestinis esse.*

PARAGRAPH. II.

De lepra à casu.

Signum ex sudoribus cum coagulatione primum, secundũ ex diuersitate pustularum, tertium ex epiglotto, & ex capillis. Hæc sunt signa lepræ à casu.

Expli-

EXPLICATIO.

Lepra quæ à casu est: vel ab infe- ctione, vel ab esu nascitur, earum re- rum, quæ lepram generant, vt Saui- næ, menstruorum &c. Atq; hæc diuer sa habet iuditia: Primum ex sudori- bus oritur: alterum ex diuersitate pu- stularum: tertium ex Epiglotto. Su- dor lepram arguit, cùm leprosus aqua nulla perfusus in laconico sicco sudat toto corpore: sudorq; non est orbicula- tus. Pustularum quoq; diuersitas le- pram interdum prodit: quando stro- phulæ in cute natæ, quas pustulas ap- pellat, vlcerantur, crustisq; cutis aspe- ratur, pruritusq; excitatur. Quando etiam raucedo cum pruritu coniungi- tur: vt cutis est insensibilis: certum quoq; lepræ est iuditium. Epiglottum instrumentum est argenteum illi pro- pemo-

II. A casu.

Sudorum.

Diuersitatis pustularum.

pemodũ ſimile quo attrahimus, aut induimus calceos. Cùm hoc palpebris ſubdimus, piliq́ palpebrarũ per Epiglottum tracti facilè decidunt, lepræ à caſu ſignum eſt. Similiter quum pili circa aures excidunt.

De ſignis lepræ innatæ.

PARAGRAPH. III.

Sed per cauitates, & carnis conſumptiones iuxta policem: item & per Orizeos colores, & Lazurios, & per luxuriam vehementem, & frigus, & calores ab extra innatæ lepræ.

EXPLICATIO.

Hactenus oſtendit ſigna lepræ, tum eius quæ ex accidente eſt, tum etiam quæ ex caſu oritur: nunc iuditium lepræ innatæ exponit. Primum ſignum à conſumptione carnis ſumitur:

III. Lepræ innatæ. Conſumptio carnis.

tur: quando cauitates fiunt iuxta pollicem, & cum maxillæ in medio emacrescunt, quod si etiam in inferiore parte macilentiores sunt, quàm in superiore: itidem lepræ innatæ signum est. Similiter cum mamillæ duriores sunt in parte superiore: in inferiore verò molliores, cum cauitate, non minus in viris, quàm in mulieribus, idē indicabis. Alterum signum est à coloribus Orizeo, & Lazurio, vt superius dictum est. Tertium à luxuria vehementi, cùm quis post coitum esurire aut sitire solet. Quartum quando alicui facilè vel calor, vel frigus molestum est. Nūc de signorū differentijs.

Colores.

Luxuria.

Calor frigus.

CAPVT III.

DE SIGNORVM differentijs.

PRima differētia ex alopœcia procedit cum signis faciei, vt in guta rosacea, in praua tentigine, & in polypo extraneo: secunda differentia in pruritu est, ex causa assumpti veneni: tertia differentia ab extraneis est, vt à realgare, & à frigore, & calore externo: quarta differentia à carnibus, medicaminibus, & à morbis originem ducit.

EXPLICATIO.

Causa huius capitis. *Quædam signa lepram ostendunt, vbi tamen lepra non est: quare in hoc capite, quod vnico tantum paragrapho constat, signorum differentias explicat.*

Differētia prima à morbis. *Primam differentiam à morbis similibus sumit, vt Alopœtia, partim propter scrophulas, quas in co llo efficit, &*

cit, & faciei fœditatem: lepræ similis quidem est, sed reuera lepra non est. Similiter iudicabis in gutta rosacea, tentigine praua, & polypo extraneo, cùm strophulæ apparent, de quibus vide librũ Theophrasti de vlceribus.

Secunda differentia est à pruritu, non eo, quam lepra facit, de quo supra dictum est: sed qui ab assumpto veneno excitatur: qui etiam lepra non est. Eiusmodi autem venenum intelligit: quod non occidit: sed corpus ægrum & cutem quasi leprosam reddit: neq; tamen lepra est: etiam si caro consumatur. Qualia sunt auripigmentum, sal armoniacum, sal vrinæ, menstruum, hæmorrhoides, sanguis saluatellæ sinistræ. *Secunda à pruritu.*

Tertiam differentiam faciunt ea, quæ non sumuntur intra corpus, *Tertia ab externis.*

ſed extra hominem ſunt: vt calor, frigus, realgar. Calor magnus interdum hominem conſumit: vocis raucedinem generat: puſtulasq́ in corpore efficit: vti balneatoribus accidit in varijs locis, vbi balnea habentur: neq; tamen leproſi ſunt. Sed vbi cauitates quoq; in membris accedunt, vt ſuperius dictum eſt: lepram eſſe ſtatues. Similiter de frigore ſentiendum. Realgar etiam metallorum morbum lepræ ſimilem generat. Nam qui mineras tractant: & metalla fundunt: fumo illorum veneno ſo, quem realgar vocat, afficiuntur: vt quaſi leproſi eſſe videantur: rauceſcunt, facie rubent, præſertim à cupri fumo: morbus tamen contagioſus non eſt. Sed vbi in eiuſmodi hominũ auribus etiam ſigna apparent: & manuum atq; pedum digi-

ti ari-

ti ariditate sua dehiscunt: certa lepræ signa aderunt.

Quartam differentiam ab esu carnium medicamentis, & à morbis sumit. Crebrior carnis porcinæ vsus faciem fœditate occulta quadā proprietate inficit: neq; tamen fœditas illa lepra iudicanda est: nisi ea quoq; adsint signa, quæ superius explicata sunt. Medicamenta etiam similitudinem huius morbi generare possunt. Solet etiam Elephantiasis interdum nasci, ex morborum transplantatione: vt ex Hydrophobia, ex pustulis, ex alopœtia, ex noli me tangere, polypo &c. Necesse autem est signa vera coniungi. Nam in quartana quoq; pruritus nascitur: & si quis in calore bibit, facilè raucus fit: leprosi tamen eiusmodi homines non sunt.

Quarta ab esu carnis porcinæ.

A medicamentis.

A mor[illegible]

CAPVT IIII.

DE CVRA LEPRÆ.

PARAGRAPHVS I.

LEpra in cura sua duas species habet: rubeam, & albam. Lepræ albæ hæc sunt signa: cutis color alienus, chaos exitus cum fœtoribus, raucedo vocis, & excrementorum feces. Rubeæ lepræ hæc signa sunt: cutis vlceratio, serpigo cum pruritu, & pustulæ.

EXPLICATIO.

Antequam ad lepræ curam accedit: duas eius species ostendit: albam scilicet, & rubeam: propterea, quòd vtraq; singularem curam requirat: neque eadem vtriq; medicamenta conueniant. Albæ lepræ signa quatuor ponit: primum cutis colorem, qui in

Lepræ species.

Signa albæ lepræ.

toto corpore talis esse debet: qualis est in facie. In alba non est naturalis, sed alienus: id est, cineritius ferè, & liuidus, Chaos anhelitum vocat, qui in alba lepra fœtet: alius quasi cepas, alius arsenicum olet, spiritum oris vrina, & excrementa fœtoribus referunt. Vox raucescit. Lepra rubea veluti signa alia habet: sic propriam etiam curam desiderat. In hac specie cutis vlceratur pustulisq́ inficitur, tentigo praua, alopœtia &c. molestæ sunt: quæ curationem quoq́ lepræ rubæ requirunt. *Signa lepræ rubeæ.*

PARAGRAPH. II.

Processus lepræ duplex est: primus de conseruatione: & secundus de cura lepræ. Quæ ad conseruationem pertinent, sunt ista: Antimonij extractiones, sanguinis essentia, de vena cor-

cordis: perlarum, & corallorum liquor, ſpecifica de granis iuniperi, de meliſſa, cichorea, & valeriana.

EXPLICATIO.

Duo nobis in huius morbi curatione obſeruanda ſunt: primum conſeruatio ſanitatis, ne quis in morbum incidat: deinde ſanitatis amiſſæ reſtitutio. Balſamus naturæ ne putreſcat, nobis conſeruandus eſt: idq; ijs rebus, quæ corpora mortua à putredine conſeruant: qualia ſunt ea, quæ hoc paragrapho enumerauit, & ſi quæ his ſimilia ſunt. Stybium, quod vulgò Antimonium vocant, non ſolum conſeruat corpus ne in Elephantiaſim incidat: ſed etiam morbum iam factum expellit. Renouat enim totius corporis ſanguinem in tertio gradu, & corpus totum

1. Conſeruatio.

Stybium.

Eius laus & virtutes.

tum mirabiliter calefacit: cutisq́; squamas aufert, de quo vide librum de quinta essentia, de tincturis, de renouatione, de caduco, de vita longa, de præparationibus, de contractura, & alios, in quibus tantus continetur thesaurus, qui nullo prætio redimi potest.

Essentia sanguinis à veteribus quoq; commendatur: illa enim vires singulares habet in humano corpore: non solum hominis sed etiam animalium. Ciconiæ sanguis summum aduersus venena est remedium: leporis in calculo valet, talpæ mamillis prodest, aliorum animalium essentia sanguinis alijs opitulantur hominum affectibus. At humanus cæteris omnibus antecellit Huius præparationem plures describunt: sed in Theophrasto uera eius descriptio continetur. Monet Essentia sanguinis.

hoc in loco ſanguinem de vena cordis eſſe accipiendum.

Margarit. & corall.

De Margaritarum, & corallorum liquore Paracelſus in multis alijs libris meminit, quæ ibi potius lector quæret.

Specifica creſcentium.

Specifica in hoc morbo eſſe dicit, Iuniperi grana, meliſſam, cichoream, & valerianam: non quòd hæc ſola ſint (multò enim plura reperiuntur) ſed quòd hæc indicaſſe ſufficiat.

Doſes.

Doſis Antimonij ſcrupulus ſemis, in aurora, ſemel in ſeptimana. Sanguinis eſſentia ſemuntia exhibetur, ſemel in menſe, ſecundo ab oppoſitione die.

Margaritarum, & corallorum grana quatuor omni die in aurora.

Eſſentiæ iuniperorum, vt etiam Meliſſæ, valerianæ, & aliarum her-

barum

barum datur drachma vel sesquidrachma omni mane.

Hæc omnia putrefactionem non admittunt: sicut etiam essentia vini, multaq; alia: de quibus vide de natura, & alios Theophrasti libros. *Putrefactionem non admittentia.*

PARAGRAPHVS III.

Quæ ad curam pertinent, sunt ista: auri mineralia, mannę virtutes, & thereniabin, argentum cum suis speciebus.

EXPLICATIO.

Quæ superiore paragrapho recensuit, generalia sunt: cùm ad conseruationem naturæ, tùm ad curationem morbi. Differunt tamen inter se gradu. Iuniperorum essentia primo gradu Elephantiasi aduersantur: sic etiam herbæ: ambra verò secundo: Antimonium tertio: aurum quarto, vt in *Differentia superiorum.*

archidoxis docet.

Cura lepræ rubeæ.

In hoc paragrapho cuiq; speciei peculiaria tradit. Rubeam enim lepram tollit, quidquid ex auro fit: vt liquor auri, aurum potabile, succus Orizei, liquor aureus: quæ omnia vnum sunt.

Albæ.

Albam autem curat Argentum, vt Oleum, liquor, siue aqua argenti.

Doses.

Dosis auri est granum vnum. Argenti scrupulus semis, in mense semel, semper in nouilunio. Vtrunq; corpus auri argentiq; in primam materiam redactum, ac rectè præparatum leprã etiam induratam auffert. De qua re vide librum secundum, caput tertiũ, & librum tertium, caputq; sextum, de vita longa.

Obseruandum hoc in loco est: neq; præseruari corpus: neq; curari morbũ posse, vbi lepra dolorẽ lumbis coxisq;

effi-

efficit: caroq́ in membris absumitur. Hactenus de lepra morbo fœdo, & horribili: sequitur Guta cum suis speciebus.

PARAGRAPHORVM

PHILIPPI THEOphrasti Paracelsi.

LIBER VII.

DE GVTA.

CAPVT I.

De Gutæ materia.

PARAGRAPHVS I.

GVTA EST SYNOuia suæ partis: à qua parte procedit, sequitur ex ista parte istius dolor, & paroxismus. Guta paralisis est, & apoplexia, contractio mēbrorum. Ex-

EXPLICATIO.

Resolutionem, quam guttam appellat, eiusq; species hoc in libro explicat: quæ nihil est aliud, quàm Synouia à parte sua separata: Vnde Virtus animalis impeditur ut officium suum in membris exercere minimè possit. Singulis ferè membris accidere potest: Vt illis Vis innata deficiat: quod cum dolore & paroxismo dicit fieri, siue corporis totius, siue membri, Vel partis, à qua procedit. Duplex enim guta est: Perfecta totius corporis & imperfecta Vel lateris, Vel partis alicuius: illa græcis ἀποπληξιά, hæc παράλυσις dicitur. Theophrastus in hoc paragrapho tres species facit: Apoplexiam, Paralysin, & membrorum contractionem. In libro de Vita longa Gutæ species esse dicit, Lethargum,

Guta siue resolutio quid.

Quibus accidat membris.

Guta duplex. Perfecta. Impefecta.

Para-

Paralysin linguæ, & membrorum: item apoplexiam, torturam oris & alias species. Nam & dentibus, oculis, atq; auribus accidit: præterea cordi, epati, spleni, & alijs partibus cùm internis tum externis. Omnes sub perfecta, & imperfecta comprehenduntur.

Vt supra dictum est.

PARAGRAPHVS II.

Synouia partis suæ est nutrimentum, & conseruatio retentiuæ, & motiuæ virtutis, ex viribus virtutis digestiuæ.

EXPLICATIO.

Synouiam dicit esse nutrimentum partium corporis humani. Nulla enim in corpore pars est: quæ Synouia careat: quæ quasi stomachus partium omnium est: vnde nutriuntur: vt ossium, carnis, sanguinis, medullarum, arteriarum,

Synouia quid.

Synouia stomachus partium corporis est

riarum, neruorum, iuncturarum, ligamentorum, cæterorumq; membrorum, cùm internorum, tum externorum.

Synouia igitur non solum nutrimentum est partium corporis, sed etiam conseruatio virtutis retentiuæ, & motiuæ: quam habet ex virtute digestiua. Si enim alimenta ritè digeruntur, quod cuiq; parti ad suam nutritionem, motumq́; necessarium est attrahitur.

PARAGRAPH. III.

Ex his sequitur morbum ex sequestratione esse, cum prima generatione anodini suę partis: quia synouia separata relictæ partis insensibilitatem facit.

EXPLICATIO.

Causa efficiens. *Causa gutæ efficiens cœli influentia est: quæ in homine idem efficit, quod*

quod in microcoſmo fulmen facit. Materiam autem oſtendit Synouiam eſſe: quando illa à parte ſua ſequeſtratur. Dum enim partes per Synouiam nutriuntur, ſenſum motumq́ſuum habent: ſi verò à partibus ſeparatur, vnà cum nutrimento ſenſus etiam mẽbrorum auffertur: vnde phthiſis, & putredo quoq; naſcitur. hoc eſt, quod dicit, fieri morbum cum prima generatione anodini, ſuæ partis, quia eius ſenſum auffert. Materia.

PARAGRAPHVS IIII.

DE CASV MORBI.

Caſus morbi à coagulatione eſt deinceps à reſolutione congelata. Omnis humida coagulatio futuræ reſolutionis ſignum: ex qua reſolutione morbi cum ſequeſtratione prædictarum dua

rum

rum cauſarum. Igitur ſignum veræ apoplexiæ ſpuma, ſuffocatio, cum contractione.

EXPLICATIO.

Quomodo Guta fiat.

Quomodo guta fiat, exponit. Primum Synouia coagulatur: deinde cùm pars corporis coagulationem ferre nequit, iterum reſoluitur, & à parte Synouia ſeparatur: quæ ſeparatio interdum celeriter fit, aliquando autem tardius. Tum ex cœli influentia guta, quæ veluti fulmen eſt microcoſmi, ſequitur. Multa autem ſunt, quæ in nobis Synouiam coagulant: vt in ſanguine frequens portulacæ vſus: inciſa enim vena ſanguis minimè fluet, vulneratus etiam ſanguinem haud emittet, ſi per nouem vel decem dies caſeo & piſcibus nutritus eſſet. Qui perpetuò pinguibus vtetur, gonorrhea

Quæ ſynouiam coagulent.

atq;

atq; diabæte facilè laborabit. Carniola sanguinem sistit per biduum, sperma ranarum decem aut uiginti annos. Congelant quoq; Synouiam semperviua, barba Iouis, lactuca, & semen eius, essentia vini, Psilium, & quæuis mucilago.

Varia etiam in partibus Synouiæ congelatæ signa apparent: Si cerebri Synouia obseruatur, apoplexia metuenda est: cuius inditia sunt, cùm resolutio adest: ægri tremunt, ronchos ducunt, & apertis oculis dormiunt, aquam ore emittunt, spasmoq; molestãtur, quo è somno excitantur, spumantesq; cadunt, paroxismusq; subitò adest. Pulmonis apoplexiam antecedunt singultus, angustia spiritus magna, nasus albescens, faciei flauedo, spuma alba cum spasmo. Si cor hoc af-

Signa synouiæ congelatæ.

Cerebri.

Pulmonis.

Cordis.

ficiatur morbo, tremit, mox etiam ſudor ſequitur: à cibo autem in orifitio ventriculi dolor ſentitur: & cum apoplexia adeſt, pulſus celer eſt, ſpaſmus hominem inuadit, calor, magis, magiſq; augetur, ac ſubitò concidentes moriuntur. Atq; hæc in membris principalibus fiunt. Paralyſis mitior eſt, & vel latus dextrum, ſiniſtrumúe, vel partem aliquam corporis infeſtat: cuius motum aut ſenſum, vel vtrunq; auffert.

Paralyſis.

Membrorum contractio.

Signa Paralyſis.

Vtrum apoplexia, vel paralyſi quis laboret.

Vtranq; membrorum contractio ſequitur. Paralyſis ſigna ſunt: frigus, quod ferè annum præcedit, fluxus ſanguinis è naribus copioſus: qui difficulter ſiſtitur, tremor eius membri, quod reſolutionem eſt paſſurum: quã mox paroxiſmus ſequitur. Quod ſi fiat vt dubitetur, apoplexia quis laboret, vel

ret, vel paralysi: vt cùm os arctius clausum habent, ore recluso, ex respirationis partibus discernetur. Si enim ablata sit inspiratio, atq; exspiratio, apoplexia est, si adhuc illæ sentiuntur, Paralysim dices esse. In hoc etiam nonnunquam terrore afficiuntur ægri, vt sibi imaginentur, aliquem trucidare ipsos velle. In Gonorrhæa quoque & diabæte paralysis accidit earũ partium virtute læsa, quæ in his morbis afficiuntur

Præcedit etiam interdum apoplexiam epilepsia, quod senibus accidit: quibus os apertum est, oculi verò contorquentur. Nonnunquam Paralysis alium morbum coniunctum habet: quod signum est, alterum morbum esse ablatum: & paralysin nouum esse morbum. Sæpe etiam membra per ali-

Guta mixta alijs morbis.

quot dies obstupescunt, quod etiam futuræ paralysæos signum est. Accidit præterea paralysis in Hyposarcha: vbi & huius, & illius cura instituenda est.

DE CVRA GVTÆ.

De curatione gutæ nullum reperi paragraphum: sed breuißimas & imperfectas saltem ex ore profitentis annotatas expositiones: & medicamentorum descriptiones. Quod autem ad curationem attinet: sciendum est, duplicem esse apoplexiam, magnam siue fortem, quæ motu, sensuq́; ablata statim interimit: & paruam atq́; debilem, Hippocrates libro 2. aphorismo 42. docet apoplexiam fortem solui minimè posse: debilẽ verò difficulter. In illa igitur nequidquam laboramus vires cœlestium impreßionum tam

Apoplexia duplex.

gra-

graues infringere, & auertere. Propter debilem autem apoplexiam, & reliquas gutæ species, quæ membra, in quibus vitæ spiritus est, non attigerunt, curatio nobis instituenda est. Ea partim physica est, partim chyrurgica, in curatione physica hoc in primis obseruandum est: vt materia peccans, quæ est Synouia, à parte sua separata consumatur: nouamq́; membra resoluta Synouiam accipiant: deinde vt membra confortentur læsa, ijs rebus, quæ suo calore, in quo medicina tota consistit, cœlum microcosmi à suis nubibus, atq; nebulis purum, clarumq; reddatur: & Sol medicinæ, vt alibi Theophrastus docet, ægro illucescat: ac membris affectis vires suas reddat, id per arcana fieri in libris de vita longa ostendit: qualia sunt, Au-

Cura duplex.

Physica.

I. Synouiæ consumptio.

Membrorum confortatio.

Arcana.

rum, gemmæ, margaritæ &c. de quibus vide Archidoxa.

CEREBRI, CORDIS, & epatis confortatio.

Liquoris Orizei drachma semis, & kist.

Liquoris margaritarum orientalium drachmæ duæ.

Alcohol vini essensificati ad pondus omnium. Reduc ad formam.

Dosis à granis 4. vsq; ad 10. Hãc confortationem trium principalium membrorum in os ægroti infundere necesse est.

AD SYNOVIAM Cerebri.

Carabe ex asphalto Iudaico,
Laudani puri,
Liquoris argenti: singulorũ kist vnum.

Vini

Vini essensificati per alcohol ad pondus omnium.

Dosis secundum gutam in aures infundenda, si è cerebro sit.

Kist grana 15. continet. *Kist quid?*

In Guta Epatis.

Corall. rubeorum.

Spodij

Olei nucis muscatæ.

Liquoris mumiæ,

Balsami singulorum sesquiscrupulum.

Alcohol vini ad pōdus omnium.

Dosis à granis 7. vsq; ad 12.

EXTRA AD LOcum doloris.

De quatuor resinis singulorum libra semis,

Galbani liquæfacti vnciæ

Liquoris de ſpica,

Olei de nuce moſcata ſingulorum vnciæ tres.

De baccis lauri ſelibra.

Reduc in balſamum.

Obſeruatio.

Si apoplexia capitis eſt, ſaltem nucham hoc balſamo, locumq́ dolentem ſubinde inunge.

VNGVENTVM COMmune in apoplexia, & Paralyſi poſt paroxiſmum.

Olei de baccis lauri

Pinguedinis caſtorij ex teſticulis

Liquoris de anacardis,

De piperibus

De granis paradyſi, ſingulorum ſeſcunciam,

Euphorbij liquefacti quantum ſufficit. *Reduc*

Reduc in formam vnguenti siue ceræ.

Post consumptum paroxismum 9. aut 10. vicibus inunge sesquimensem.

Obseruatio.

Quidam summum in hoc morbo præseruatiuum esse iudicant, tria Sinapis albi grana in dies mane sumpta, alij plura sumunt. Noui virum amplissimum summæ apud Imperatorem autoritatis hoc medio ante annos 40. fœliciter fuisse vsum. Præseruatiuum.

CHIRVRGICA.

Ea in apertione consistunt: qua ad centrum vsq; morbi facta, hoc emplastrum applicetur.

De quatuor gummatibus maioribus singulorum vncia.

Liquoris asphalti,

Carabe singulorũ vnciæ 2.

Cùm cera, & minio reducantur in emplaſtrum.

PARAGRAPHORVM

PHILIPPI THEOPHRAſti Paracelſi

LIBER VIII.

PARAGRAPH. I.

ASTHMATIS SPEcies ſunt iſtæ: Pulmonis apoſtemata, regionum pectoris anthraces, vlcera regionis, vel pulmonis, ſuperfluum humidum, ſiccum, pinguedo, repletio, & liquoris excrementa

EXPLICATIO.

Aſthma morbus omnibus notus eſt:

est: quare omissa definitione species eius explicat: quæ pulmonis, & thoracis ægritudines sunt. Pulmo spiritus organum est: quamobrem necesse est, eum esse omninò purum: cùm autem obstruitur, mox apostematibus, & vlceribus infestatur: quæ in cæteris membris principalibus diu latere possunt, antequàm animaduertantur. Hunc morbum fœdus oris spiritus indicat. Anthraces quoq;, & vlcera regionem pectoris, & pulmonem obstruunt: motumq; eius impediunt, horror illos comitatur, & paroxismus febrilis. Interdum pulmo nimia humiditate atq; phlegmate grauatur: quæ semper tussim secum habet, cùm videlicet illa in cannis exiccantur. Si verò nimium siccus est: inspirationis virtus tollitur: tussis ægris molesta est, laterumq;

Pulmo organum spiritus est.

rumq́ue punctiones. Idem faciunt pinguedines, nimia repletio, & excrementum sanguinis in pulmone: quibus cannæ infarciuntur: ne aër poßit penetrare: vnde spirandi difficultas, tussisque perpetua existit.

PARAGRAPH. II.

Asthmatis signa sunt ista: anhelitus, tussis, screatus albus, raucedo vocis, gutturis siccitas, sitis, alteratio pulsus, compreßio thoracis.

EXPLICATIO.

Signa verbi. *Asthmatis signa decem enumerat: quæ cùm adsunt, pulmonem lesum esse ostendunt. Interdum pingues pulmonem nimio frigore vitiantes, seipsos perdunt. Interdum etiam pulmonem corrumpunt potu, post pinguium rerum esum: similiter cum quis raucus ingre-*

ingreditur balneum, in quo quidquid illi acciderit: ab eo deinceps nunquam liberabitur. Sunt autem ſigna in duas partes diuidenda: vt in proximo paragrapho dicam. Signa duplicia.

DE CVRA SICCA.

PARAGRAPH. III.

Aſthamatis cura ſicca eſt iſta:

Myrrhæ

Turbethi.

Aliptę muſchatę ſingulorum vncia

Sulphuris viui vnciæ 6.

Colcotharis

Salis fuſi ad medium pondus. Reduc ſublimando in puluerem.

Doſis eius eſt à drachma vna ad 3. vel 4. vſq;.

Huius ſulphuris vncia,

Croci

Croci orientalis ſcrupulus ſemis,

Maſtiches drachma.

Omnia in puluerem redacta miſce.

Doſis eadem eſt, quæ ſuperioris ſublimati ſulphuris eſt.

Poterit etiam hyſopi drachma addi.

EXPLICATIO.

Paragraphus tertius nihil aliud habet, quàm curationis ſiccæ medicinã. Curatio enim huius morbi duplex eſt, ex duplici ſignorum eius indicatione. Quædam enim exiccationem deſirant. Vbi enim materia, quæ exſcreatur, copioſa eſt, phlegma ſuperfluum in pulmone conſumi neceſſe eſt. Quædam vero reſolutionem requirunt: cùm materia morbi congelata eſt.

Quare

Quare curatio uel ſicca eſt, uel humida ſiue reſoluta: curatiõis ſiccæ medicamẽ tũ vnicũ tradit: cuius præcipua materia ſulphur eſt: quod ad pulmonẽ ſingulare eſt: de quo vide libros Theophraſti de vita longa, de viribus membrorum de natura rerum, de peſte, tractatum de ſulphure &c. Hoc in loco duas illius præparationes tradit: Primũ enim ſublimatione purum ab impuro ſeparat: deinde croco, & maſtiche ſulphuris huius virtutem auget: vtraq; ſublimatioue, per ſe vti poſſumus: poſtrema tamen efficatior eſt. Præſtans etiam ad pulmonem eſt Laudani ſuperioris cum carabe compoſitio. Curatio duplex.

Obſeruandum etiam: frigida in purgando pulmone periculoſa eſſe.

DE CVRA RE-ſoluta.

Para-

PARAGRAPHVS IIII.

Cura relaxationis eſt iſta: Elixir de tartaro crudo, eſſentia vini eſſati, & cùm aquis ſeparatis à carnibus ſuis.

EXPLICATIO.

Altera Aſthmatis curatio reſoluta, ſiue relaxationis à Paracelſo appellatur: quæ ea, quæ ſicca ſunt, reſoluit, vt facilius è pulmone eijciantur. In hac autem curatione elixiria, & quintas eſſentias probat: primum tartari crudi, deinde vini eſſati, tertio liquorum.

Remedia curæ reſolutæ.

Tartarus.

Tartarus crudus ex vino albo ſumi debet: is ſolus pulmonem, eiusq; regiones, vt vocat, ingreditur: ſi in elixir redigatur, per puri ab impuro, quod ſal eius eſt, ſeparationem: hoc modo. Contere tartarum in puluerem eumq;

Eius præparatio.

eumq́; in vini alcohol imbibe, & per alembicum abstrahe: idq́; octies facito, donec tartarus totus in liquorem imbibendo, abstrahendoq́; conuersus erit. Hic liquor absq; omni sale purus erit: Postea in essentiam suam & elixir redigendus erit: quo pulmonis vlcera, affectusq́; alij curabuntur.

Dosis est à granis 4. vsq́; ad 7. aut 10. Dosis.

ALIA PRÆPARATIO tam ad interna, quàm ad externa.

Liquorū de floribus Hypericonis: Liquores.
Aristolochiæ rotundæ singulorum vncias duas.
Liquoris mumiæ vncias tres.
Præcipitati ex Saturno vncias duas & semissem. Reduc in mixturam.

Dosis à granis 10 vsq; ad 15.

Huius medicinæ virtus.

Hæc medicina & intra corpus sumi, & extra adhiberi potest: nec ad asthma & pulmonis tantum, sed etiam ad splenis, vesicæ, renumq; vlcera experimentum est. Non autem meminit huius in paragrapho, sed inter docendum indicauit.

VINI ESSATI
præparatio.

Vini de melissa drachma,
De pulmonaria semuntia.

Fiat mixtura:

Dosis.

Dosis est à semidrachma, vsq; ad sesquidrachmam.

Vinum essatũ quid.

Vinum essatum appellat vinum sublimatum, in quo ponuntur herbæ, vt earum essentia extrahatur: à qua essatum dicitur, inde vinum melissæ, valerianæ, pulmonariæ, & similium.

Est

Est autem obseruandum, vinum Melissæ in Asthmate secretum esse: præterea non herbam, sed liquorem, hoc est vinum pulmonariæ in huius morbi curatione valere. Obseruatio

LIQVORIS CARNIum descriptio.

Liquoris de carne vncias sex.

De mumia drachmæ dimidium.

Myrrhæ sesquidrachmam,

Reduc ad formam.

Dosis à scrupulo vsq; ad sesquiscrupulum.



PARAGRAPHORVM

PHILIPPI THEO. PAracelsi Philosophi & medici summi

LIBER IX.

DE FEBRIBVS EXTRANEIS.

PARAGRAPHVS I.

FEBRIS EST CALOR putrefactus cum tremoribus, ex sua oppilatione à materia insequestrata, in clausis poris, ex vi stiptica.

EXPLICATIO.

In libro de tartaro Paracelsus tria febrium genera esse dicit: Stomachi, epatis, & renum: omnesq́, ex opilatione prouenire. Hoc in loco eadem ferè tra-

tradit: febres facit duplices, internas, quæ ex nutrimentis originem ducunt, de quibus hîc nihil agit: & extraneas, quæ ex opilatione veniunt: quarum materia nondum sequestrata tartarus putrefactus est, qui oppilat: vnde per cœlum siue ascendentes paroxismi commouentur.

Paragraphus primus morbi definitio est: quam colorem putrefactum appellat. Tartarus enim in membris putrescens, quando digeri incipit feruendo vaporem, siue ventum in corpore excitat: qui cùm penetrare per poros in vias vrinæ nequeat: sed potius vi stiptica vt hîc loquitur, illas obstruat, horrorem, tremoremq; efficit, vt totum corpus concutiatur, qui tremor tamdiu durat: donec materia vel exitum inueniat, vel consumatur.

Quid febris extranea.

Quomodo morbus fiat.

Quiescēte deinde paroxismo frigoris, calor succedit, qui vias obstructas rursum aperit, atq; deopilat. Paroxismi autem varij sunt: iuxta varium cœli motū, vel ascendentes varios, vt in libro Germanico de febri scribit. Est igitur febris calor cum frigore coniunctus ex putrefactione: vnde vel vniuersum corpus cùm peccans materia in membris principalibus est: vel pars obstruitur à materia minimè sequestrata, sed retenta: vt cum vena vnica febricitat. Atq; hæ febres in membris principalibus fieri possunt ex mineralibus: vt à sulphure quartana, tertiana à salibus, ab alumine cotidiana.

PARAGRAPH. II.

Omnis putrefactio materialis suam materialem oppilationem

nem facit à ſpiritibus ſalis, cum ingenita coagulatione, & poſt coagulationem per digeſtum in tremorem abit.

EXPLICATIO.

Oſtendit hoc paragrapho, qua ratione paroxiſmorum numerus cognoſcendus ſit. Putrefactio fit in materia: hæc oppilationem facit per ſpiritus ſalis cum ingenita congelatione: poſtquam digeſtum in tremorem abit, Omnis enim putrefactio digeſtum ſuum, id eſt, materiam ſequeſtratam à cæteris habet: vnde paroxiſmus cognoſcitur. Si in cotidiana color albus eſt digeſti, ſex ſeptimanas durabit, neq; citius curari poteſt. Si verò color praſinus eſt: 15. 20. vel 21. ſeptimanas durabit. Si tußis adſit, 8. vel 9. continuabitur hebdomadas. At

De paroxiſmorum numero.

Cotidiana.

verò cum pedum tumores cum paroxiſmo ſunt coniuncti, ante 15. hebdomadas febris minimè deſinet. Quod ſi paroxiſmorum numerus minuitur, vt ſi ex cotidiana, fiat tertiana, morbus erit añuus. Si verò numerus augetur: vt cumquartana in cotidianam tranſmutatur, 10. menſes permanebit.

Si æger cibo, potuq́; liberaliter vtetur: ſignum erit tempus febris decurtari. Si autem æger cibũ, potumq́; reſpuit: vltra tempus indicatum, trimeſtre durabit.

PARAGRAPHVS III.

Paroxiſmus qui ab arſenicalibus deſcendit (aliâs aſcendit) ſuum numerum habet, & digeſtum: & paroxiſmus trium primarum erraticam diem habet: & paroxiſmus ſanguinis ſuam

curam

curam habet, & digeſtum,

EXPLICATIO.

Paroxiſmos explicat febrium, quæ à ſanguine oriuntur. Arſenicalia quæ in ſanguine ſunt: habent etiam ſuum numerum, & digeſtum, ac curationem. Cùm verò paroxiſmus ex tribus primis Mercurio, ſale, & ſulphure à varia decoctione diem erraticam facit, tempus legitimum nõ obſeruat, ſed vel anticipiat, quod bonum ſignũ eſt: vel tardius quàm deberet, accedet: quod inditium eſt, materiam morbi augeri. Dixit paroxiſmum ſanguinis ſuam in ſeipſo curationem continere, & digeſtum: quod interdum paroxiſmus adeò vehemens eſt, vt rupta vena ſanguis vel per nares, vel per vrinam effluat: idq́ ſignum minimè malum eſt: hoc enim modo ſanguinis

Paroxiſmi ſanguinis.

Quare paroxiſmus ſanguinis ſuam in ſe curam habeat.

Digestum quid. *Digestum est materia sequestrata: fit autem sequestratio, quando febris incipit esse morbus.*

DE CVRATIONE.

PARAGRAPHVS IIII.

Febris extraneæ cura vna ex auro procedit, altera ex corallis, sed minor cura in argento, & perlis consistit.

Descriptio auri.

Aurum. Alcohol vini exiccati, & preparati à cineribus fabarũ quantum sufficit. Foliorum auri ad placitum. Reduc in digestionẽ per mensem.

Dosis. Huius liquoris accipe grana tria, cum vncia vna aquæ vndimiæ, vel portulacæ, ante, vel post, vel sub paroxismum.

Corallorum.

Coral-

Corall. alborum ſemuncia, *Coralla.*

Alcohol vini exiccati vncias 10.

Reduc ad digeſtionem per menſem

Huius liquoris doſis eſt, gra. 6. vel 7. cum aquis prædictis ante, vel poſt, vel ſub paroxiſmum. *Doſis.*

Argenti.

Mellis liquefacti vncias 15. *Argentum.*

Foliorum argenti vncias 2.

Reduc ad digeſtionem per ſeptimanam.

Huius liquoris de melle ſeparati doſis eſt ſcrupulus ſemis, cum granis 15. croci orientalis, ante paroxiſmum. *Doſis.*

Perlarum.

Alca

Alcali extracti à citrinolîs vncias 15.

Aquæ albuminis ouorum vncias tres.

Perlarum non perforatarum ſemuncia.

Reduc ad digeſtionem per menſem.

Doſis.

Huius ſucci ſeparati ſumantur grana 6. cum aqua valerianæ ante paroxiſmum.

EXPLICATIO.

In hoc paragrapho Paracelſus primum enumerat medicamenta ſimplicia, quibus curari febres extraneæ debeant: deinde eorum deſcribit præparationes. Omnium autem harum febrium curatio vniuerſalis eſt deopilatio. Quæ ex ſanguine febres oriuntur: ſuam in ſeipſis, vt eſt antedictum, cura-

Cura vniuerſalis.

Si ex ſanguine ſunt.

curationem habent: vt vel rupta, vel incisa vena ægri liberentur. Si ex splene morbus est, saluatella est secanda: sic de cordis, pulmonis, epatis &c. febribus iudicandum est. In quartana in spina dorsi scarificandum: si autem morbus est ex renibus, cucurbitulæ pedibus admoueantur. Inungutur etiam arteriæ pulsus, & pulsatiles in temporibus, castoreo, pipere, Zinzibere. Purgationes in his febribus nil prosunt.

Quartana.

Vnctio.

Obseruandum est, eos, qui sic curantur, minutione sanguinis circiter septimanas 10. manere debiles, ciboq; minimè delectari. Vbi eiusmodi remedijs nil proficimus, pedesq; intumescunt, tum demum ad veram curationem accedendum est.

Obseruatio

Animaduertendum quoq; est, quod

Obseruatio

in hoc

in hoc quarto paragrapho auro, & corallis precipuas in his febribus virtutes tribuit: argento & margaritis minores, deinde in corallis albis eam esse virtutem, quæ eiusmodi febres curat.

Alcohol vini exiccati quid. *Alcohol vini exiccati vocat vinum distillatum, quod ab omni phlegmate, & humore alieno atque fecibus purgatum est: vt accensum totum nulla relicta superfluitate consumatur.*

Mellis separatio. *Mel ab argento separatur reiteratione distillationis in balneo.*



PA-

PARAGRAPHORVM PHILIPPI THEOphrasti Paracelsi, LIBER X.

DE CAPITIS ADVERSITATIBVS INTERNIS.

PARAGRAPHVS I.

CAPITIS DOLORES aut ex sanguine, aut ex resoluto, aut ex oppilationibus procedit: siue in sinistra, siue in dextra parte dolor sit: ex his tribus causis prouenit.

EXPLICATIO.

Capitis dolores explicaturus, vnde oriantur indicat. Causas internas omissis externis tres enumerat: sangui-

guinem, reſolutionem, & oppilatio-
I. Sanguis. nem. Sanguis dolores capitis gignit, vel ex digeſtione accidentali, vel abundantia, vel errore trium primorum, ſiue vt ipſe appellat, trium pri-
Digeſtio. marum. Digeſtio eſt, cùm ſanguis requie ſua carens, in perpetuo motu fer-
Abundantia. uet. Abundantia dolores facit, cùm ſanguis nimium augetur. Vbi autem tria prima in ſuo ſtatu non manent, ſed errant, morbis caput grauiſsimis infeſtant.

PARAGRAPH. II.

Ex reſolutis qui ſunt, per fumos aſcendunt, & deſcendunt: eſt enim omnis fumus de narcotico anodyno, cum ſtupefactione innata. Procedentes autem ex oppilationibus, qualis earum natura, & proprietas,

quæ

quæ ab extra eſt, ſiue natura ingenita, talis eſt & morbus, & ſuum accidens tale.

EXPLICATIO.

Altera cauſa dolorum capitis reſolutio eſt vaporum, ſiue fumorum, qui in cerebrum aſcendentes, rurſusq; ab eo deſcentes frequenter vi narcotica anodina, qua ſpiritus ſentiens ſtupeſcit, dolores pariunt. Id quod multis qui ventriculi debilitate laborant, accidit. Tertia cauſa eſt oppillatio, quæ errore trium primorum fit, quorum natura, & proprietas qualis eſt, talem etiam dicit eſſe morbum: vt in ſequenti paragrapho latius exponit. *II. Reſolutio.* *Oppilatio.*

PARAGRAPHVS III.

Ex his prædictis in prima ſpecie ſequitur lateris pars: quia ex anatomia hanc partem habet

febrili paroxiſmo In ſecũda ſpecie ſublimatũ ſiccum fumũ habet in ſupremis cellulis, & partibus, cum paroxiſmo erratico anodyno. In tertia ſpecie qualis oppilatio, talis mania, phreneſis & inſaniæ ſpecies, iuxta ſuę partis oppilationem per calidum, aut frigidum reſolutum, aut coagulatum.

EXPLICATIO.

Quomodo dolores capitis fiant. Speciei primæ.

Repetit Paracelſus cauſas dolorum capitis, & quales in vna quaq; ſpecie morbi fiant, oſtendit. In prima ſpecie ſanguinis ſcilicet, partem capitis affici vel dextram, vel ſiniſtram, cum febrili paroxiſmo inquit, ſynochum autem dolorem humorem, hemicraneam uerò grauiſſimum eſſe certum eſt: quia interdum annum integrum

grum durat: vnde ex ea etiam paralysis generari potest. Appellauit autem dolorem synochum ita, inter docendum, quia dolorem cum febri coniunxit. In secunda specie resolutionis obseruandum est: generari fumos siccos, qui in cerebri cellulas sese sublimantes, paroxismum faciunt erraticum anodinum. In tertia specie qualis oppilatio est, tales etiam morbi sunt, qui ex ea oriuntur: nimirum graues: vt Mania, phrenesis, insania cum suis speciebus. In peste mox coniungitur causon, auffertur q́; ægris somnus. Atqui semper cupiunt dormire, ijs ex vi narcotica illud accidit.

Secundæ. *Tertiæ.* *In peste quales.*

DE CVRATIONE

PARAGRAPHVS IIII.

Cura sanguinis in frigido est, & in narcotico humido.

EXPLICATIO.

Obſeruatio Sedandus dolor.

In curatione dolorum capitis, hoc eſt animaduertendum: vt neq; digeramus, neq; purgemus: ſed dolores ſedemus, atq; auferamus. Si mulieri profluuium accidat poſt dolores capitis, difficilima curatio erit. Similiter ſi vel fluunt, vel ſiſtuntur menſes capite dolente, capitis curatio primum, deinde menſium inſtituenda eſt. Ita quoq; faciendum, ſi hydrops, morbusúe alius aceſſerit, primum capitis habenda ratio eſt: deinde alteri morbo medicina adhibenda.

Dolores capitis mulierum.

Morbi mixti.

Cura doloris ex ſanguine.

Narcotica

In hoc paragrapho primæ ſpeciei curationem tradit: eamq; in frigido, & narcotico humido eſſe dicit. Narcotica ſunt, Liquor corallorum, roſa, ſemper viua, margaritæ, & ſimilia.

CATAPLASMA.

Roſa-

Rosarum rubearum vnciæ 3.
Barbæ Iouis vnciæ 5. fiat cataplasma cum aceto, vel aqua rosarum.

Aliud.

Corall. præparatorum drachma,
Margaritarum non perforatarum scrupulus semis,
Aquæ rosarum,
Semperuiuæ æquales partes, quantum satis est, pro incorporatione, vt in cataplasma redigatur.

His remedijs in doloribus capitis à sanguine ortis, eo vsque vtendum est, donec dolores cessent. *Quousque vtendum.*

In secunda specie tantum opus est congelatione: vt quæ resoluta sunt, iterum condensentur, quod narcoticorum refrigeratione fiet: Semperuiua, solano, portulaca, & similibus. *Cura resolutionis.*

Cura Opilationis. *In tertia specie solum deopilatione opus est: vt ea, quæ à Mercurio, sale, atq; sulphure, à quibus morbi omnes oriuntur, obstructa sunt, iterum aperiantur.*

PARAGRAPHORVM

PHILIPPI THEOPHRASTI Paracelsi.

LIBER XI.

DE AFFECTIBVS matricis.

PARAGRAPH. I.

MORBORVM MAtricis generationes in matrice non sunt, nec ex ea, per eam omne membrum, quod descendit ab aliis detrimentum accipit. Sũt enim dolo-

dolores matricis retentio, & rei superfluitas.

EXPLICATIO.

Duos tantum Paracelsus matricis affectus commemorat: retentionem, siue oppilationem, & superfluitatem: qui generales sunt. Dicit in matrice hos morbos non generari, neque ex ea esse: vt ex sequenti paragrapho planè intelligitur. Matrix enim nutrimentum suum non ex nutrimentis, sed à carne hominis, & omnibus membris principalibus accipit, singulis mensibus semel, à quibus illud ipsum nutrimentum nomen habet Mēses, quod reliquum est, excrementum est, ideo vno quoq; mense reyci tur, eamq; ob causam Menstruum appellatur.

Morbi generales duo

Nutrimētum matrēcis vnde.

Menses.

Menstruum.

PARAGRAPH II.

Concurſus morbi retentiui, & ſuperfluitatis ab omnibus partibus totius corporis deſcendit: nam menſtruum in matrice menſtruum non eſt, ſed menſium excrementum. Ex his ſequitur coniunctio, deſtructio, alteratio, concluſio, permixtio bonę & malę rei, diſcoloratio, cum ſimilibus.

EXPLICATIO.

Morbos matricis in ea non generari. *Hic paragraphus præcedentis explicatio eſt: quod in matrice morbi eius non generentur: ſed in partibus principalibus: neq; menſes in ea contineri, ſed menſium excrementum. Deinde morbos ſpeciales enumerat: qui ex menſium ſiue retentione, & obſtructione, quam hîc concluſionem vocat, ſiue ſuperfluitate generantur.* *Morbi ſpeciales.*

Fit e-

Fit etiam vt aliquando in alijs quoq; partibus, quàm in matrice erumpant: Cùm mulieres dolores ſentiunt in corde, felle, & cæteris membris principalibus, oppilationem cauſam eſſe intelligendum eſt: tum menſtruum per totum corpus prouocandum eſt. Coniunctio eſt, cùm menſtruum ab omnibus membris, & à quibusdam partibus inſalubre prouenit: Deſtructio eſt, cùm pars aliqua aliam corrumpit: vnde exactè de menſtruo iudicari minimè poteſt, tum in ſuum temperamentum menſes redigendi ſunt, quo facto, partes ſua ſponte curabuntur.

Oppilatio *Coniunctio* *Deſtructio*

DE CVRATIONE

PARAGRAPH. III.

Cura matricis duplex eſt prima eſt in Elixirijs: ſecunda in Orizeo. In Elixirijs ſummum

Cura duplex. *Elixiriorum.*

temperamentum hoc eſt: Res extracta ab eſſato ſuo in alcohol vini exiccati. In ſecunda cura hoc eſt corpus, & ſubſtantia, & res ſua eſſenſificata, ſine extractione, ſed per tranſmutationes de ſubſtantia non liquida in potabilem medicinam. Et temperamentum eſt vnum in perlis per extractiones in alcohol: aliud temperamentum in carniola eſt, & eſſentia temperata ab arbore maris. Temperamentum in doloribus matricis nec calidum, nec frigidum eſt, nec eſſe debet: & nec reſolutum, nec humidum congelatum, nec per diathesin confectum: Omne enim frigidum, & omne calidum inimicum in ęgritudinibus mulierum:

Orizei.

Margaritæ.

Carniola. Corallia.

Temperamentum ad dolores matricis quale eſſe debeat.

rum: item omne ſiccum & omne humidum peſſimum venenum in retentione, & ſuperfluitate mēſtruoſa. Item omne ſtipticum, diaphoreticum, ponticum, acerbum, & omne amarũ, omne dulce impedimentum eſt pro ſanitate mulierum: ſed cura matricis abſoluta debet eſſe ab omnibus his prædictis: quia temperamentum liberum habet arcanũ, & ſuum arbitrium.

DESCRIPTIO TEMperamenti huius ſuper primam curam Elixir, eſt iſta.

Alcohol vini exiccati libræ 3. *Elixir*
Florum anthos
Macis
Lauendulę ſingulorum vncias 10.

Cu-

Cubebarum
Caryophyllorum
Cinamomi, ſingulorũ vncias 2.
Maſtiches ſemunciam,
Storacis vtrinqꝫ ſcrupulum ſemis
Doronici vncias 3.
Reduc in ſeptimum alembicum: poſtea adde:
Foliorum auri numero 20.
Margaritarum nõ perforatarum,
Lapidum granatorum,
Rubinorum ana ſeſquidrachmam.
Reduc ad digeſtionem per menſem.
Huius olei grana 3. vel 4. cum vino maluatico, aut aqua maioranæ,

ranę, vel faluię: per tres aut quatuor dies mane, & sero administrato.

Hoc elixir nobilissimum arcanum in retentione, & superfluitate menstruorum dissoluit, & constringit, & partium dolores pellit: tollit suffocationem materialem, item præcipitationem mineralem. *Huius Elixirij virtus.*

Secunda descriptio Orizei liquoris est ista.

Orizei præcipitati, post dissolutionem mellis, & salis, vncia vna. *Liquor Orizei.*

Liquoris arantiorum
Granatorum ana vnciæ 6.

Reduc in imbibitionē, post supra marmor porphirium reduc

duc in liquidam formam.

Dosis. Dosis eius à granis 7. aut 8. vsq; ad 10. vel 12. in aqua fontis per dies duos, vel tres.

Orizei virtus. Hoc medicamen ex sua temperata virtute dissoluit, & resoluit, constringit, & confortat matricem, & menstruū totius corporis: extra matricem partes suas deopilat, & resoluit à membris principalioribus per meatum menstruosum menstruum constrictum: in deficientibus menstruum facit, & augmentū, & parit, & ducit menstruum in annum 50. vel 60. & est arcanum totius naturæ menstruosæ.

ALIVD MEDICAMENtum ab arbore maris.

Corallia Reduc arborem maris in calcinatio-

cinatio-

cinationem cum ſale nitri: poſtea reduc in alcali: deinde extrahe rubedinẽ, & reduc per alembicum.

Huius liquoris vnciæ 4.

Aquę Baſiliconis libra.

Reduc in digeſtionem ad triduum: ſeparetur aqua per balneum maris à liquore.

Doſis iſtius liquoris grana quinq;, vel ſex ſemel in menſe, duodecies in anno, pro prima adminiſtratione, in ſecundo anno in ſecundo nouilunio ſexies in anno: in tertia adminiſtratione vſq; in vigeſimã primam, & ſecundam adminiſtrationem, ſemel in vere, ſemel in autũno, ſemel in hyeme, & ſemel in æſtate, & poſt annum vigeſimũ Doſis.

tertium,

tertium, rursus omni mense semel, iterum duodecies in anno: & post istam administrationem in septimana semel, vsque in annum quinquagesimum, postea omni die vsque in finẽ menstrui.

Aliud medicamen temperatum est istud.

Granorum artis nigrorum libram semis, reduc in aquam, cuius accipe quantum vis & adde tantundẽ alcohol vini exiccati, & distilla, vt supra.

Dosis. Dosis eius est à drachma vna vsque ad 3. aut 4. semel in mense per integrum annum.

EXPLICATIO.

Cura mensium difficilis est. *Difficilis, & periculosa mensium est curatio, quæ fit medicamentis communibus. Neq; enim suppressos prouocare,*

care, neq; superfluos sistere tutum est. Quare neglectis qualitatibus, medicus ijs vtetur rebus, que matricem, & menses in suum temperamentum reducant: qualia sunt arcana. Duplicem igitur morborum matricis curationem tradit: vnã, quæ fit Elixirijs: alteram, quæ Orizeo, & alijs, in quibus arcana delitescunt, constat. Elixiria perficiuntur extractione essati à re ipsa, siue corpore suo. Est autem Essatum virtus & potentia rerum, quæ per vinum rectificatum in digestione extrahitur. Theophrastus hoc in loco histero protero vsus est: quod orationem obscuriorem reddit: non enim res ab essato, sed essatum siue virtus à rebus ipsis, & corporibus separantur.

Cura duplex.

I. Elixiria

Essatum quid?

Docet Elixir in septimum alem-

Quid ſit in ſeptimum alembicum ducere.

bicum eſſe reducendum: qua de re magna inter eruditos, bonosq; chymiſtas diſceptatio eſt. Idem de ſpiritu calcanthi tradit: in nonum alembicum eſſe reducendum. Contuli cum præcipuis: alius aliter interpretatur: mea ſententia eſt: Paracelſum per alembicorum numerum nihil aliud intelligere quàm diſtillationis reiterationem: vt liquor capiti mortuo, vt Spagiri appellant, ſemper in reiteratione reaffundatur. Si quis aliter ſentit, minimè impedio.

I. Arcana.

In ſecunda curatione non extrahitur eßentia rerum, ſed mutata forma, corpus ſolidum in liquorem & medicinam potabilem reſoluitur: quæ arcanum ſanationis in ſe continet. Nulla igitur hîc extractio ſit, ſed tantum corporis in aliam formam tranſmutatio.

Ori-

Orizeum ostendit præcipitandum, hoc est in calcem siue puluerẽ redigendum, in melle ac sale soluendum, deinde in eius, & arantiorum liquore Granatos, qui singularem in matricis affectibus virtutem habent, imbibendos ac super porphirio in loco humido soluendos esse, id fiet, si prius nitrialibus, vt in archidoxis inquit, calcinati sunt. Orzei explicatio.

Arborem maris corallos appellat, qui in mari veluti arbores crescant. Arbor maris.

Hæc addere in eorum gratiam volui, qui in Paracelsi lectione rudiores sunt. Doctis enim vt aliquid scribam, mihi non sumo. quare bonam in partem accipient, qui ista legent.

PARAGRAPHORVM PHILIPPI THEOPHRAsti Paracelsi

LIBER XII.

DE DOLORIBVS DENTIVM.

PARAGRAPH. I.

DENTIVM DOLOres cum ſuis accidentijs in radicibus oſſis ſunt: cũ gingiuis, & regionibus ſuis.

Cauſa in doloribus dentium vna eſt aliena: altera eſt in loco, & quæ aliena eſt, deſcendit à regionibus capitis: & quæ à loco eſt, ſcabriciei, aut panaritij principium.

EXPLICATIO.

Duo in hoc paragrapho docet: primum à casu dentium dolores oriri: morbiq; principium in loco doloris esse. deinde duas horum dolorum esse causas, vnam alienam, alteram in loco. Alienam à capitis regionibus descendere inquit: id fit, quando dens incolumis, gingiuis saluis dolet. Per venam enim capitis, quæ gingiuas ingreditur, sanguinis vitio dolor nascitur. Quare falsa est communis hominum opinio: à defluxionibus capitis dolores dentium generari, cùm sunt sani: alioquin enim gingiuas, dentesq; omnes dolor affligeret: vnde facilè angina excitaretur. Sanguinis vitium est, si dentes salui sunt, non humorum è capite defluentium: quia dentes in radicibus suis morborum sunt exper-

Causa aliena.

Quando sanguis causa sit doloris.

tes, nisi sanguis causa sit. Quinetiam auribus malè affectis, dolere dentes possunt: quia venæ horum venis aurium proximæ sunt.

Causa à loco.

Quæ causa doloris dentium à loco est, scabri inquit, aut panaritij principium. Nam vt in Panaritio scabrus fit: ita etiam hîc. Legitur autem Panaritius, & Panaritium, quo vermis digitorum, dentium, aurium &c. significatur. Prima dolorum dentium generatio ex acuitate salis est: ex qua dens putrescat: inde, vt in Panaritia, vermis nascitur, qui sine intermißione dolorem corrodendo generat: donec tandem aërem sentiens, moriatur. Id enim omnibus vermibus, qui è ligno, panno, caseo, cæterisq; rebus nascuntur, à natura inest, vt ea, è quibus nata sunt: corrodant.

Panaritius quid?

DE

DE CVRATIONE.

PARAGRAPH. II.

Dentium cura duplex eſt: Phyſica, & Chyrurgica. Phyſica eſt iſta. *Cura duplex.*

Phyſica.

Tormentillæ
Staphiſagriæ
Seminis plantaginis ana drachma ſemis,
Radicis exterioris iuſquiani
Succi papaueris ana ſemuncia.

Reduc in decoctionem cum aceto: fiat lauamentum calidum.

EXPLICATIO.

Quia dictum eſt dolores dentium, ſi ſani ſint in radicibus oſſis à ſanguinis vitio generari: idcirco in ſedandis doloribus opus eſt emunctorio, quod medicamentis fieri poteſt: quale eſt,

quod hîc annotatum est, si dentibus applicetur. Idem præstat rumex acuta, quàm oxilapachon Diascor, quidam Meliocam appellant: si in orbiculos scindatur tenues, qui dentibus admoueantur, prius in aceto madefacti: aut si radix crasso modo trita, & in aceto humecta, quartam horæ partem, aut amplius applicetur. In Chyrurgica curatione materia peccans auferenda est. Quemadmodum autem scabrus, & panaritium per sperniolum occiditur, sic etiam dentium vermis occidendus est. Dente putrido fœtente, ex aceto, & melle fiat gargarismus, quo vtendum, donec fœtor auferatur.

Chyrurgica.

P A-

PARAGRAPHORVM

PHILIPPI THEO. PA-racelsi Philosophi & medici summi

LIBER XIII. & XIIII.

DE DOLORIBVS AVRIVM ET OCCVLORVM.

DE CAVSA.

AVRIVM DOLOR de causa emunctorij quarti ex regionibus capitis superueniens cum surditate sua, speciebus, & articulis, iuxta anatomiam inferioris regionis, cum regionibus narium, & oculorum. Casus ab accidente est, & à loco: qui ab accidente, à natura aluminosa de-

ſcendit:& qui à loco, à proprio ingenito paroxiſmo, cum ſignis Chronicis, & tinnitum aurium, & apoſtemate, cùm purè & ſanè & cæteris ſuis ſpeciebus.

EXPLICATIO.

De numero librorum.

Titulus Paragraphorum in omnibus exemplaribus habet libros quatuordecim: at in ordine tredecim tantum inueniuntur. Obſeruandum igitur eſt: Paracelſum aurium atq; oculorum morbos, qui poſtremi ſunt: eorumq; curationem coniunxiſſe: quocirca etiam libros duos poſtremos coniunxit: paucisq; ſaltem verbis, & medicamentorum formis diſtinxit. Hoc modo librorum numerus integer eſt: tametſi poſtremi duo breuiſsimi ſunt: quia longa tractatione in his morbis, præſertim in oculorum affectibus, nō puta-

putauit esse opus : dum λιθότομοι & Oculistæ oculorum quoq; curationem sibi vendicant.

Causam autem dolorum aurium ostendit non ex humoribus, qui è regione epatis ascendunt, sed à casu, siue accidente in regionibus capitis & articulis iuxta anatomiam regionis inferioris cum suis symptomatis à sale aluminoso prouenire. *Causa dolorum aurium.*

PARAGRAPH. II.

Cura doloris aurium vna ex aperitiuis frigidis de humido resoluto: secunda per stupefactiua anodyna iuxta dictũ Archelai iuxta processum Alburasis: secundũ artẽ chyrurgicã, & experientiam Reymundi Lullij.

Descriptio prima in doloribus aurium ab accidente, Siff album, est de virtute tutiæ cum alijs.

Siff album Tutiæ præparatæ ſine aceto ſemuncia,

Carabe drachma, Reduc in liquorem.

Huius liquoris drachmæ 7. & ſemis,

Alcohol vini exiccati vnciæ 2.

Reduc per maris præparationem, fiat Siff.

Hoc per modum cataplaſmatis applicetur.

IN SCABIE ET PAnaritio aurium.

Siff aliud. Seminis Iuſquiami

Papaueris

Loliĳ

Nigellæ ana drachma ſemis.

Fellis tauri ſeſcuncia

Cam-

Camphoræ liquefactæ ad pondus omnium. Reduc in ſuum Siff.

Collirium in ſcotomia & omnibus ſpeciebus oculorum.

Vitrioli albi *Collyrium vniuerſale*

Aluminis ſciſſi

Tutiæ extinctæ ana drachma,

Liquoris Eufragiæ vnciæ 6.

Camphoræ tritæ, ſeſquidrachma.

Reduc in liquidam ſubſtantiam, ſuper porphirium cum ſeparatione maris.

EXPLICATIO.

Dolores aurium curandi rationes duas tradit: vnam ex aperitiuis: alteram ex ſtupefactiuis Fuit Paracelſus in *Aurium cura.*

ſus in ea ſententia, omnia quæ auribus infunduntur, eſſe periculoſa: quare ab ijs abſtinendum eſſe, auditores ſuos monuit, niſi ſint cum tutia compoſita: quæ in his ſingulare eſt. Idem de oculis ſenſit: quorum cataractas ſiue effuſiones non ſpecies conſiderandas eſſe iudicauit: Aurium etiam medicamenta oculorum vitijs accommodari poſſe docuit. Scatomiam radicitus difficulter tolli: niſi per inſtrumenta: vt etiam ſuffuſiones: tametſi vtilia ad hos affectus plurima à medicis adhibentur: quale eſt collyrium hîc ab autore poſitum. Ea voluit habere vim conſumptiuam.


Oculi rubentes. Quibus oculi ſunt rubeutes ij fumum in oculos recipiant farinæ fabaceæ cum aceto humectatæ. Hic fumus

Obſeruatio rubedinem auffert. Quo minus enim oculis,

sicut auribus, infundimus, eo melius. Obseruandum etiam in collirijs non vtendum esse aquis stillatitijs nec arsenico, & similibus.

Præparationem maris intelligit separationem quæ fit per balneum maris.

FINIS LIBRORVM quatuordecim Paragraphorum atque explicationum.





ARGENTORATI
Excudebat Chriſtianus Mylius, in foro fru=mentario.

ANNO M. D. LXXV.